GNEUFFELIUS — DE PODAGRA — 1664

R M
29
Tx
2

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

CNOEFFEL, A.

65201/A

EPISTOLA
DE
PODAGRA CURATA

per Doctorem

ANDREAM CNEVFFELIVM

Primò Amſtelredami Excuſa:

Secundo Gorlicii impenſis
Conradi VVörneri Bibliop.

Excud: Martinus Hermannus,
cIɔ Iɔ c xliv.

LONDON·MEDICAL SOCIETY OF

II 2

JOANNI DE LAET,

CHRIST. ARCISSEVVSKI.

S. P. D.

Mihi quidèm ignotum eſt, Vir doctiſſime, quali medicamento utatur Doctor Andreas Cneuffelius Budiſſanus Luſatius, Archiater Sereniſſimi Poloniæ Regis VVladiſlai Quarti, in curanda Podagra. Occultat id ſedulò, nec prius, aut alitèr hoc in lucem proditurum credo, quàm cùm ipſe morti proximus, ſcripto beneficium hoc, & in artem medicam, & in genus humanum conferet. Aut certè poſteri ipſius hoc facient.

Miſſos facio & hos, qui ad aurum, & illos, qui ad antimonium, arcanum ejus referunt; & ea tantùm quæ ſcio, quoniam id expetis, candidè tibi recenſebo: modò non ægrè feras, & Minervam & ſtylum rudem.

Quoniam aliud præſtare non poſſum, ſufficiat de ſequentibus articulis aperuiſſe id, quod notum eſt.

Nimirum in Primo ediſſeram, quid de genere Medicinæ Cneuffelianæ acceperim, ab ipſomet Doctore Cneuffelio.

In Secundo, quid de eodem acceperim ab aliis.

In Tertio, quid ipſemet oculis viderim, & lingua guſtaverim.

In Quarto, quam mutationem ex operatione medicamenti ejus obſervaverim in me, tam ratione Egeſtorum, quàm ratione Ingeſtorum.

In Quinto, quem effectum, vel fructum ſenſerim, primò in morbis meis conſuetis, & poſt in corporis & ſanguinis reſtitutione.

In Sexto, quæ inconſueta, aut extra ordinem mihi acciderint, in uſu medicamenti ejus.

In Septimo, quem effectum medicamenti ejus viderim, in mihi notis.

In Octavo, quales reliquiæ ſuperfuerint infirmitatum in corpore meo, poſt annuum ipſius medicamenti uſum, & quid earum reſpectu deinceps agere conſtituerim.

Quod ſi Epiſtola hæc prolixior tibi videbitur, ob argumenti magnitudinem ignoſces.

Quod

I.

QVod Primum Articulum attinet, Nempè quid de genere Medicinæ Cneuffelianæ didicerim ex ipſomet D. Cneuffelio: Non poſſum id melius exprimere, quàm ſi tibi communicem, ipſum Doctoris Cneuffelii conſilium, quod mei gratiâ Hagæ Comitis ante annum conſcripſerat, Stylum Hermeticum, & phraſin Chymicam ubi perpenderis, facilè ſcies ad quod genus medicinæ, artem ejus referre debeas. Ne litterulam quidem immutabo, ſed ità illud tibi exhibebo, quemadmodùm manu ipſius propria conſcriptum apud me aſſervatur.

Hæc ſunt verba D. CNEVFFELII.
Cum bono Deo.

Homo veteribus Sophis rectè Microcoſmus dictus, & eſt.

Quæcunque enim Deus propter hominem antehac diffuſe creavit, ultimò omnia illa, in illum, uti in ultimam & perfectiſſimam creaturam, ſeu compendium, congeſſit univerſim. Ita ut illud Cœlo, (ſub hac voce Cœlum hic & ubique infra author ignem intelligit,)

Aëre, Aquâ, Terrâ, eorundemque genio conſtaret totum.

Hoc Cœlo, Aëre, Aquâ, Terrâ, conſtans Syſtema, ne repentè in diſſolutionem veniret, Deus, Deique amanuenſis, provida natura, eo quo conſtabat Macrocoſmo, ejusque fructibus, ad prædeſtinatum terminum nutriendo, diu voluit eſſe conſervatum.

Hæc Microcoſmi conſerva, poſt lapſum, & maledictionem divinam, pura, puta non eſt, ſed capiti mortuo, ſuisq; excrementis inutilibus, quantitate vel qualitate nocivis, ſuâ etiam idioſyncraſiâ venenoſis, prout eſt cujusque ingeſti & aſſumpti indoles, ita comixta & confuſa eſt, prout mineris nobilioribus, ſuas ſcorias, ignobiliora metalla, cacochymias, commixtas eſſe videmus; in quibus aurilegulos ſive metallurgos, coctione Vulcani purum ab impuro ſeparare, purumque & fixum metallum obtinere, in eorum ἐγχειρέσει obſervamus.

Et quod illi naturæ æmuli & ſequaces in oculis hominum faciunt, illud natura rectè habens, occulto ſibique ipſi meliùs cognito modo, aſſumendo legitimè ſuam ex omni elemento ejusque fructibus, alimenti conſervantis neceſſitatem,

tatem, ſuperfluum vero, vel heterogeneas ſcorias, qualitate & quantitate inutiles, nocivas, per legitima emunctoria ſeparando, efficit.

Ita ut recta Microcoſmicæ Oeconomiæ conſtitutio ſive ſanitas, in duobus hiſce conſiſtat. 1. In juſta omnium Microcoſmi Elementorum ſymmetria & harmonia, in nullo diſſentiente. ſed legitimè beneficio ſui Ares vel Diſpoſitoris prædeſtinatas ſuas actiones naturales expediente. 2. In balſamo cujusque partis naturali; ſuam legitimè beneficio Archei ſumente nutrimenti conſervam, puta purum; impurum è contra, vel cujusque partis excrementum, legitimè ſeparante.

Et hæc rectè habens Microcoſmi conſtitutio; eſt Sanitas. Exorbitans vero vel deficiens conſtitutio eſt morbus.

Vnde patet quam exiguis cancellis quatuor illorum humorum, per aliquot ſecula & ſanitas & morbus, morbique curatio, hactenus fuerit circumſcripta. Vt mirum non ſit, tot fuiſſe incurabiles, à quotidianis medicis deſperatè habitos, malè deſertos, tempori, prognoſi medicæ, thermis, acidulis, & aliis ſubterfugiis Medicis, relictos.

Quippe recta medendi ratio, & Philoſophia, Vniverſi Microcoſmi, Cœli, Terræ, Aëris, Aquæ, & in horum ſingulo, ejus laboris, indolis, beneficii, & maleficii, ſive veneficii, gnara neceſſario eſſe debet. Siquidem ſingulis diebus & momentis Microcoſmus Cœlo, Aëre, Aquâ, Terrâ, eorumque fructibus, veſcitur, conſervatur; eorumque abuſu & veneno, harmonia illa cum balſamo deſtruitur, & vim patitur: ita ut ſuas actiones, nec totum ſyſtema, nec ejus ſyſtematis elementa ſive partes legitimè expedire queant. Ex qua Balſami diſſolutione tandem morbus, & mors ultima linea rerum.

Hanc ſymmetriam univerſi, & cujuſque partis privatæ, ſi ſuo modo temperamentum, ſive Tonum dixerimus; Exorbitantiam è contra, Intemperiem, ſive Atoniam; idem diximus.

Et hæc breviter, ſed neceſſariò præmittenda, excipit meum judicium, & poſt Curandi ratio, ſupra affectus Domini Chriſtophori Arciſſevii olim Generalis Rei Armamentariæ in Braſilia Præfecti, ibidemque Tribuni Militum, ſcripto tenus ab ipſo mihi communicatos.

Primùm

Primum Tuſsim adorior periodicam & inveteratam, poſt paſtum ſexta circiter hora plus minuſve, plerunque invadentem, & poſt uſum plurimorum medicamentorum tamen perennantem, cum ſputatione copioſa, à juventute ſibi hucusque familiari. Horum & reliquorum omnium ſymptomatum ibi conſignatorum, uno Dominorum Medicorum in Cerebri vitium, reiiciente; altero in Pulmonum; tertio in ſtomachi, Hepatisque errorem: quovis etiam eorum vario ſucceſſu curante, nunquam tamen illa familiari tuſſi, tentatis omnibus, prorſus ſublatâ, ſed hucuſque periodum ſuam ſervante.

Ego Ametriam, ſive Atoniam Cerebri dico, omnia præaſſantem, è temperamento calidiori & ſicciori, reverberantem & colliquantem in Capite citiùs & acriùs, quam naturæ lege fieri debebat. Vndè illæ copioſæ, & à juventute familiares in Cerebro colliquatæ, tenues, præuſtæ, in ſalſedinem uſque ſputationes, ad fauces dimanantes in quantitate & qualitate majori, ob os illud in radice naſi cribriforme, ſeu excipuli, malè formatum, ipſoſque naſi ductꝰ ad excipulum à natura contractiores, hacque ratione obſtructos.

Quæ Atonia, non partium tantùm ſed univerſi Syſtematis calida, ſicca, omnia præaſſans, & ad lixivium vel ſalis acrimoniam, reverberans, cauſa fuit in juventute ſcabiei illius continuæ, ſalitæ acrimoniæ, lippitudinis, & reliquorum ulcerum. Siquidem omnia & ſcabiei & ulcerum genera, à diverſis ſalibus, aluminoſis, vitriolatis, armoniacis, plumoſis, proveniunt; quod prurititus indicant, & exulcerationes corroſivæ.

Cauſa etiam cum ætate creviſſe poteſt acriorum ſalium cum ſanguine & ſynovia commixtorum (*per ſynoviam intelligit id, quod gliedtwaſſer Germanis dicitur.*) tartareorum, arthriticorum, nephriticorum; quæ tractu temporis & ætatis, magis magisq; in calcis acrimoniam, & abſumpta vel evaporata vehiculi ſeu liquoris ſui potiori parte, in coagulum fixius, & tophos acerrimos in renibus, articulis, omnibusque corporis partibus hoſpitantes, reverberantur.

Etenim prout in Macrocoſmi Zona torrida potiſſimi fructus ad ſiccum & calidum, & acre, & ſalitum præaſſantur & degenerant; ita in Microcoſmi Zona torrente ſive præaſſante, calida, ſicca, ad ſiccum, acre, & ſalitum omnia

incli-

inclinant. Prout illi norunt, qui ex quovis dulci nimis cibo ità præaſſato, coleram generant potiùs, quàm dulce & naturæ amicum nutrimentum (quod & ipſe quoque Colonellius Arciſſevius conqueſtus eſt.)

Quibus ſalibus cùm muco commixtis, tales anaſtomoſes, ſive aperturæ in radicibus venarum Capillarium fieri; & mucus ità cruentus (ſuſpicione non levi alicujus exulcerationis in Cerebro vel ejus ventriculis) è naribus per vices ejici; prout ex eadem cauſa dormienti cruor aliquis purulentus ſubamarus ad fauces defluere; & mucum illic adhærentem ſuâ acrimonia circa parietes faucium cruentare poteſt.

Calida illa & ſicca Atonia etiam, ocyùs colliquando, ſuffocantes imbres conglomerato agmine, è ſuprema Microcoſmi regione, ad mediam aëris ſive faucium regionem, præcipitare, & impetu ſuo inundare poteſt.

Hæc de Regione Microcoſmi ſuprema, ejusque Meteoris & purgamentis.

Sequitur Media Microcoſmi Regio, quæ Aëris potiſſimùm eſt; termino faucium, aſperæ arteriæ, pulmonis, cordis, & diaphragmatis, circumſcripta, Illa majori ex parte vim pati-

tur præternaturalem, quod periodica illa, etiàm habitualis ferè tuſſis poſt paſtum & ſomnum, infallibili monſtrat argumento.

Symmetria, & Tonus pulmonum, aëreæque regionis, eſt attrahere in ſuam regionem ſuæ indolis nutrimentum aërem externum, eodemque ſpiritibus vitalibus, vitæque noſtræ ſubminiſtrare alimentum inſpirando; & excrementum aëris fuliginoſum è contra exſpirando.

Atonia hujus eſt, quando hoc vel non rectè, vel non ſufficienter in ſua harmonia proportionata facit, violentèr flabellum cordis, & ſpirituum vitalium inflando, præter naturam commovendo, erodendo, conſumendo; Vnde Tuſſes & Expectorationes illæ violentæ, & Phtiſes.

Prout enim Deus & natura, licet univerſum Macrocoſmum per diverſa quatuor Elementa, Cœlum, Aërem, Terram & Aquam in ſua harmonia & conſenſu amicabili ad prædeſtinatum terminum conſervat, & tamen voluit diſtinctis duobus globis, (duo illa ſuperiora Cœlum & Aërem uno, altero vero Terram & Aquam unitim) univerſum hoc Syſtema diſcriminari; ita

in Microcoſmo par eſt ratio. Vt namque in Macrocoſmo Cœli meteora & excrementa, videlicet ſulphur & ſal excrementicium, in Aërem & ſuum globum invicèm amandantur (quod in meteoris omnibus videmus, pluvia, nubibus, tonitruis, fulguribus, ventis, variis ignium & flammarum generibus,) ſic & Terræ excrementa in Aquam, & viceverſa Aquæ excrementum ſalitum & ſulphuratum, in Terram, & ſuum ità circumſcriptum globum, amandantur; ſic in Microcoſmo, omnia illa ſuperioris Regionis meteora, ſua excrementa & imbres, eorumque excrementicios & nocivos fructus, in mediam aëris regionem amandant. Vnde tot ſputationum ſtillicidia, tot imbres ſuffocantes, & inundantes, tot venti boreales ſaliti corrodentes, tot pruinæ de ſale reſoluto, tenerrimam illam aëris regionem pulmones vellicantes, erodentes, balſamum conſumentes: accedente præſertin illa ſuperiùs dicta Microcoſmi Ametria & Atonia, quando Sol Microcoſmicus Cor, in Zona Torrida omnia ſimul torret & exceſſivè præaſſat.

Cui notabiles hactenus ſuppetias, & oleum quaſi camino affudit, Macro-

coſmica illa Braſiliana Regio torrida, ex qua, & ejus quatuor Elementorum fructibus ſimilis genii & indolis, Microcoſmus conſervam & nutrimentum ſuum, prout è contra damnum & excrementum, per multos annos trahere eſt coactus nolens volens.

Sublimem hunc Cœli Aërisque globum linquentes Terram petimus, cum qua involuta Aqua, alterum inferiorem Macro- & Micro- Coſmi globum conſtituit.

Hujus globi regio in Microcoſmo, ſuam conſervam & nutrimentum, potiſſimùm è Macrocoſmi Terra & Aqua, prout & damna ſua & excrementa huic commixta Dei & naturæ ductu, ad terminum ſibi prædeſtinatum, quærit & applicat. Et prout in ſuperiori globo Cœli & Aëris, ſcientiæ & virtutes, ut è contra vitia ſuæ indolis vigebant; nimirum influentiæ in ſpiritus animales, vitales, impreſſiones Cœleſtes aëreæ; & è contra meteora, ſtillicidia, pruinæ, imbres cœleſtes & aërei; ità in inferiori Terræ & Aquæ globo maximè vigent ſcientiæ pro indole hujus globi inferioris, quæ in Regno Vegetabili & Minerali, tàm in Macro- quàm Microcoſmo conſpicuæ ſunt.

H[illegible]

Hæc in dubium vocanti, en ad oculum in Macrocoſmo omnes labores ſubterraneos, generationes tot diverſorum Mineralium, tot Metallorum, tot lapidum; tot è contra excrementiciarum ſcoriarum, cacochymiarum, lutorum, impuritatum; quas omnes fide ſenſuali apud Metallurgos demonſtrare in eorum officinis poſſumus: quando purum & fixum auri, argenti, cupri metallum, à ſuis excrementis & ſcoriis ſeparari, & ſeorſim vi coctionis Vulcani colligi, & ad uſus Microcoſmi referváari videmus.

Horum omnium Mineralium, & Metallorum fructus & beneficia, ut è contra maleficia & excrementa, & venena, per Archæum ſive coquum ſubterraneum in Ventriculo & Viſceribus Macrocoſmi, à reſolutis Mineralium & Metallorum ſpiritibus, in Regno Vegetabili Vegetabilia; Ex Vegetabilibus in Regno Animali animalia; Ex utrorumque aſſumptis in Regno Microcoſmi, corpora Microcoſmica participant.

Vt illi Moroſophi jam meritò mirari ceſſent, cur aurum, argentum, & reliqua puriora metalla, robori noſtro commodent. Quid enim quæſo caro noſtra aliud, quàm purior Macrocoſmi

gleba & terra, ſi Philoſopiæ & Scripturæ credimus? Cur non è Terra nobiliori & puriori quæ in auro eſt, ſui homogenei balſami conſervam, nutrimentum & robur obtinere potiùs quàm è delicatiori-bus, & volatilioribus metallicarum efflo-reſcentium herbarum facultatib9, poſſit?

Humores naturales in Microcoſmo, ut ſanguis & reliqui naturæ liquores, de natura ut Elementi Aquei ſunt, ita ex eodem Aquæ Elemento, per potum, & ingeſta liquida, tàm ſua nutrimenti beneficia, quàm Excrementorum ex Elemento Aquæ maleficia, experiuntur.

Quomodò id fiat, ſequens naturæ labor in Microcoſmo monſtrabit.

Omne alimentum quod in inferiori hoc globo Microcoſmus aſſumit, ex Macrocoſmi inferioris globi, vel Terra, vel Aqua eſt. Macrocoſmi terram ejuſque fructus, pro carne ſua, ſive terra Microcoſmi, & ejus conſerva; Macrocoſmi item aquam, ejuſque fructus pro aquæ liquore & humore Microcoſmi, & ejus conſerva, ſumendo.

Pro conſerva dico. Ita enim ordinavit Sapientiſſimus Deus, ut ex quo conſtabat, videlicet Macrocoſmo, ex eodem etiam conſervaretur, ad prædeſtinatum finem Microcoſmus.

At poſtquàm dolendum in modum, poſt lapſum & maledictionem Divinam, Caput mortuum, puris illis omnium creaturarum principiis, ſali, ſulphuri, & Mercurio, acceſſit; nihil diuturnum, nihil fixum, nihil purum fuit, ſed tot viciſſitudinibus & alterationibus ſubjectum. Ex quo morbus & mors, & varia clades Microcoſmi.

Ex hoc Capitis mortui ſuperadditi fonte, quibus modis illa infinita morborum & mortis ſemina, in Microcoſmo promanaverint, ſequentibus conſtabit.

Iuſtus ille Deus, qui ob peccatum, maledictione ſua, puriſſima illa creaturarum principia, capite mortuo, & tot ex illo manantibus morborum mortisque ſeminibus involvit; in eodem etiam æquilibrio Miſericors, medicinam & juvamen, non tantùm æternæ morti, ſed & temporali, ſed & morbis, mortis temporalis fratribus germanis, oppoſuit. Inter tribulos maledictæ terræ permittendo enaſci ſalubres herbas, interque ſcorias & lutum inutile mineralium & metallorum, miſcendo metalla & mineralia nobiliora, nobiliſſimis facultatibus & virtutibus in ſalu-

tem

tem Microcoſmi inſtructa. Ea tamen pœna, & vindictæ ob lapſum parentum noſtrorum reminiſcentia; ut laborem ſuperaddiderit & ſudorem. Ita ut nihil puri puti, ad Microcoſmi conſervam è Macrocoſmi terra & aqua redundare queat, niſi labore externo, & poſtmodum interno Microcoſmi, videlicet, præparatione, lotione, depuratione, coctione, præparatum ſit. Quod poſtmodum ita ſudore & labore externo præparatum, & à Microcoſmo aſſumptum, ulterioris & exquiſitioris laboris & depurationis interioris indiget. Siquidèm in Ventriculum Microcoſmi primùm ingeſta, exteriorique labore priùs præparata, Archeus ejuſdem ulteriùs interno labore coquere, coquendo purum ab impuro ſeparare, purum retinere pro Conſerva, impurum inutile & damnoſum pro excremento habere & ejicere cogitur; ſi in hoc inferiori globo Microcoſmus in ſua harmonia, & tono rectè habere, & facultates ſuas naturales rectè expedire vult: ſin minus Atonia, Ametria, & ex hâc cum deſtructione balſami interitus, ſequitur.

Ventriculus itaque Microcoſmi, dùm ex Macrocoſmi terrà & aqua, eorumque

que fructibus, ſuam conſervam ſive nutrimentum ingeſtum aſſumſit, certum eſt, illud præfato modo non eſſe purum putum, ſed multis terreſtreitatibus, & excrementis aqueis, tartareis, lapideis, armoniacis, item luto, ſalibus, ſcoriis, commixtum. Quod ipſum ut ſupra dictum eſt, ex reſolutis inferiorum ſubterraneorum ſpiritibus in terræ & aquæ viſceribus Vegetabilia, & ex illorum uſu in Terra & Aqua Animalia, & ex utrorumque aſſumptis corpora noſtra Microcoſmica, participant.

Hinc naturæ labor ſic incipit.

Diximus ſuperiùs Sanitatem conſiſtere in Symmetria Microcoſmi, in nullo exorbitante vel deficiente; morbum in contrario.

Ventriculus matrix, & Microcoſmi ager, ſi ſementem ſui ingeſti excipit, in illo, ſui Archæi nec exorbitantis nec deficientis ope, illud ingeſtum putrefaciendo, legitimè in ſua principia, ſal, ſulphur, & Mercurium ſeparat; poſt ulterioris coctionis labore, ſulphur crudum, utpotè inutile, per inteſtina, corporis cloacam, extra Microcoſmicum corpus ejicit. Salinas & Mercuriales partes, ulteriùs excoctas, ſeparatas, filtratas, per Meſaraicarum venarum co-

latorium

ſatorium Hepati communicat. Vbi Hepar in ſecunda coctione vi ſui Archæi rurſus ulteriùs excoquendo & elaborando, illa duo principia ſibi communicata, ritè ſeparat, Partes Mercuriales pro quavis Microcoſmi particula conſervanda nutrienda, cùm ſanguine per Venarum ductus & canales transmittit. In quibus locis Ares pro cujusque partis neceſſitate & indole, illud mercuriale nutrimentum vel conſervam adaptat & diſponit beneficio Archei ſive coqui cuivis parti peculiaris & proprii, purum conſervantis, impuritatum reliquarum ſalia in tertia hac ſingulæ partis coctione, vel per cruorem (non intelligit hic ſanguinem ſed ſpeciem largioris ſudoris) vel per madorem cutis, ejicientis.

Sal illud tertium ingeſtorum principium, ab hepate ita à partibus Mercurialibus ſeparatum, ad Renes mittitur; in iis tranſcolatum & reſolutum, ad veſicam, corporis matulam, amandatur, quâ etiam illud ſalis excrementum effunditur.

Hæ omnes primæ, ſecundæ, tertiæ, coctiones, ſi earundem Archeus in nullo vel exorbitat vel deficit, omnia legitimâ quantitate & qualitate fiunt, conſer-

conſervantur, & è contra inutilia ſeparantur.

Sin minus, Archeus exorbitans, in ventriculi prima coctione ſtatim omnia præaſſat; illa putrefactio, per quam ſufficiens & legitima prædictorum principiorum debebat fieri ſeparatio, omnia accelerans, principia confundit, & non ad legitima ſua emunctoria, à naturaque prædeſtinata loca, amandat. Vnde fit ut ſæpius ſalia per Renes ſolvenda, ex reverberantis nimis & præaſſantis omnia Archei vi, confuſa maneant in Ventriculo, unde tot Ventriculi incendia, roſiones, dolores, lapides, coagula. Quod idem in inteſtinis (unde illorum dolores & cruciatus,) idemque in Hepatis qnoque regione, fieri poteſt.

Quod de Sale dixi, etiam de Sulphure ad inteſtina amandando, locum habet. Si illud nempè non benè ſequeſtratum manet in Ventriculo; unde tot Cruciatuum & Eructationum fœtidarum, nidoroſarum, nauſearum, vomitionum, ſemina; tot flatuum, rugituum, murmuris, colicarum, iliacarum paſſionum affectus in inteſtinis. In Hepatis vero Regione, tot diſcolorationes faciei, cutis, Icteri flavi, rubri, nigri, leucophlegmatiæ. &c.

Eadem è contrario in omni coctione deficiens Archei vis, eſt tot morboſarum conſtitutionum enumeratis his affectibus oppoſita ratio.

Sal tertium Principium, in tertia ſeparatione per urinam, in quarta & ſingulis partibus propria, vel per cruorem vel per madorem, ſi non legitimè ſeparatur, ſed vi Archei in Hepate vel renibus nimis & citò ſeparatur, reverberatur in acrimoniam, confunditur cum Mercurialibus partibus, & ità purum cum impuro ad nutriendam ſingulam partem, per venarum canales transmittitur.

In ſingulis partibus, Ares vi ſua magnetica, pro cujuſque particulæ nutriendæ indole, ex venarum canalibus ſuam neceſſitatem attrahens & diſponens, ac per Archeum partis cujusque coquens, & impurum ſeparans, invenit ſal & acrius & groſſius, quàm quod in ultima illa ſubtiliſſima coctione per cruorem vel madorem extra corporis poros tranſpirare poſſit; unde illud ſal ibi perſiſtere cogitur. Et quoniam tractu temporis Archei exorbitantis vi, ulteriùs coquitur & aſſatur, reverberatur in acrimoniam usque. Talem malè feriatum & peregrinum hoſpitem,

ſanguis cum carnoſis partibus malè ferens, & ad extrema virium ſuarum agens, ad proximas articulationum cavernas & receptacula deponit. Vbi ex ſupradictis exorbitantis Archei erroribus, indiès & annuatim, ſenſim magis magisque aliquid apponitur ad illud ſal vel Tartarum juncturarum; prout in vini vaſe tartarum ſenſim ad ſpondylia vaſis agglutinari, apponi, magis magisque in lapillos, cum tempore figi videmus. Vnde ex acrimonia ſalis in partibus illis membranoſis & exquiſitiſſimi ſenſus, hoſpitantis, ferientis, rodentis, certis temporibus cum dulci articulorum ſale & conſerva Synovia (intelligit rurſus Germanicum Gliedvvaſſer) de novo, ex exteriori Macrocoſmi, vel interiori Microcoſmi injuria fermentantis & ſpumantis, tot dolores, tumores, calores, ſymptomata, ultimò coagulationes annuatim fixiores, usque in tophos, vel nodos, vel lapides, in articulis & renibus ſolvi difficillimos.

Prout enim Microcoſmus ex omnibus fructibus Macrocoſmi nutritur, ita diverſa ex iiſdem hoc modo damna & maleficia patitur. Ex leguminibus enim & leguminum potulentis, lutum & mucilaginem viſcoſam; Ex eſculentis piſcium,

ſcium, pomorum, tale aliquid mucilaginoſum, lutoſum, viſcoſum, ut illa lapidum genera per veſicam excreta, bolaria, lutoſa, friabilia; Ex acribus & aromatizatis, ſaccaratis, dulcibus, vinis generoſioribus, acria, dura, ferientia, tartarorum & lapidum coagulatorum genera; quæ nec medicamentis nec ulla arte ſolvi poſſunt, ſed cum vitæ periculo & fine, perennant.

Longus eſſem ſi omnem hic malorum Iliada recenſere vellem. Sufficit primum omnium fontem monſtraſſe, ex quo derivata clades in patriam populosque fluxit.

His præmiſſis, ſequitur brevitèr & Præſervatio, & Curatio.

Primò. Omnia quæ curant, etiam præſervant. Hic mihi in affectibus Domini Arciſevii, in Regione Aërea, tonus & balſamus pulmonum, per harmonicum Macrocosmi balſamum, Sulphur à ſalibus corroſivis, & ærugine ſua quâ laborare incipit, præſervandus videtur, ne cum tempore in diſſolutionem & corruptionem veniat: conſentiente nimirum in illius corroſionem ſupremæ Regionis (intelligit capitis) Ametria, ſuis imbribus & pruinis in Mediam hanc regionem (intelligit pul-

mones) depluens, & omnia depaſcens; Quam ſimul magna ex parte frequentior Nicotianæ uſus, ad illa ſtillicidia provocare videtur.

Secundò, In Curatione illius Arthritidis, & Nephritidis, prout etiam balſamo non tantùm Pulmonum; ſed & univerſi Syſtematis Microcoſmici uno hoc opus eſt, Conſervare principalia membra & Microcoſmi Elementa in ſua harmonia & balſamo, & reliqua benè habebunt. Natura enim optima & tutiſſima medicatrix morborum eſt. Quorum omnium curationem ille Philoſophus novit, qui ex Macrocoſmi harmonia, Symmetriam illam Microcoſmi in ſuo æquilibrio conſervare, & quodvis individuum Microcoſmicum ad illud expendere, & à ſuis extremitatibus liberare poteſt.

Tertiò. Conſiſtet quoque mea curandi ratio In reſolutione Tartari, & conſervatione balſami naturalis, per ſpecificum & Vnicum omnium ſalium ſolvendorum arcanum, quærenti mihi & aſſiduè laboranti Dei benignitate impertitum. Hoc Tartarus, cum confortatione membrorum reſolvetur, & eo ſoluto natura ipſa Varias vias inveniet, quibus ejiciet.

Hac itaque quâ judicium meum cepi Micro - & Macro - Coſmi harmonia, Curationem hanc etiam cum bono Deo perficiam. Velis illam ô Deus, quam in nobis operari cepiſti, conſervare in ſterminum tibi benè placitum, ad ſolius Tui nominis gloriam immortalem, noſtram vero ſalutem.

Hucuſque fuerunt verba Doctoris CNEVFFELII.

II.

QVod Secũdum Articulum attinet. Nempè quid de genere Medicinæ Cneuffelianæ ab aliis acceperim: Hoc docebo, Altero ejuſdem Doctoris Cneuffelii Conſilio, quod in gratiam Sereniſſimi Poloniæ Regis VVladiſlai Quarti, nunc regnãtis ante aliquot annos confectum ab ipſo fuit; & ad manus quoque meas non ita pridèm pervenit; nam ſuppreſſo nomine multorum manibus jam teritur.

Id autem habet hæc verba.

Cum bono Deo.

Ad poſtulatum ægri, affectum doloroſum deſcripturo, æquum videtur, Conſilio & Medendi rationi præmittere

tere hujus affectus naturam quid ſit? Originem unde ſit? Progreſſum, qualis in omni decurſu ſit? Accidentia, ymptomata & dolores.

Quæ omnia ritè explicata excipit & Conſilium, & Curandi methodus, revis quidèm ſed ſufficiens.

Naturam doloripari hujus affectus & quid ſit, ſequens definitio exprimit.

Eſt itaque doloroſus hic affectus ægri, Vniverſalis Tartarus bolaris vel apillo ſus, per certas temporum perio-ios, in diverſis corporis locis, & arti-ulationibus, cum ſale acuto, inſignium olorum author, impediens naturæ udabiles & neceſſarias actiones & irtutes.

Tartarum dixi hunc affectum non meo d & veterum Philoſophorum, & rectius ntientium Medicorum nomine, explicat enim ægri affectus doloroſi, non ntum naturam & originem, ſed etiam cidentia, ſive dolores.

Tartarus vulgo dicitur Infernus em fæx vini, Germanicè *VVeinſtein.* artarum hunc ſi Infernum dicas, dixes dolores & cruciatus plùs quàm infer-ales. Si vini fæces & ἐπιγέννημα, ſive crementum ad doliorum parietes ad-erens Tartarum indigetabis, per

aptam illam ſimilitudinem, cauſam, na-
turamque ſimilem in corpore humano,
ejusdemque canalibus & ductibus, ve-
nis, nervis, angulis, articulationibus
exprimes. Nimirum tale quid fæcu-
lentum, à natura in illis partibus no
bene ſequeſtratum, ſed relictum, & i
tempore in tales lapides coagulatum a
compactum; excitans tam atroces do-
lores & impedimenta organorum om-
nium, in quibus hærent illæ Tartari fæ-
ces coagulatæ, & nonnunquam cum
ſingulari acrimonia interceptæ. Quem-
admodum enim vetus & defæcatiſſi-
mum vinum, cum tempore ſui ipſiu
caloris digeſtivi interni beneficio, pu-
rum ab impuro ſeparat, impurum aman-
dat ad ſpondylia vaſis, eaque præfat
modo lapillorum vel ſalis coagulati in-
ſtar incruſtat; ita par hujus in corpor
humano doloripari Tartari, & ſimili
eſt generatio.

Poſtquam enim Deus Deique ama-
nuenſis natura, in prima creatione Cœ-
lum, Terram, omniaque in iis content
creaſſet, ultimò ea quæ diffuſe erant
creata, in hominem tanquam Micro-
coſmum, ultimam & perfectiſſimam
creaturam quaſi in compendium om-
nia congeſſit. Voluitque Deus, & ſtu-
dioſ

ioſa ſuæ conſervationis natura, hoc
x Cœlo, Terra, & reliquis elementis
onſiſtens Syſtema, ne in diſſolutionem
t repentinam mortem veniret, ex illo
uo conſtabat, in terminum ſibi præ-
eſtinatum nutriendo, ita eſſe conſer-
atum. Itaquè dum in dies humanum
orpus, & ſingulis momentis, illo quo
onſtabat, nempè Cœlo, Aëre, Aquâ,
errâ, eorumque fructibus paſcitur,
ertum eſt, omnia & ſingula aſſumpta,
on eſſe pura puta, ſed plurimis fæci-
us & excrementis, prout cuique na-
uræ providentiâ ſunt indita, eſſe invo-
ata & commixta; quæ impuritates
ùm ad conſervationem non proſint
ed obſint; provida natura ordinavit
uum Archeum, coquum, chymiſtam,
ui beneficio caloris Spagyrici digeſti-
i, ſingulis partibus in corpore humano
aſiti, purum ab impuro digeſtione ſuâ
epararet. Impurum utpote inutile vel
er emunctoria convenientia, vel per
loacam inteſtina, vel corporis matu-
am Veſicam, extra corpus amandaret.
Conſervaret è contra purum, quod
uævis pars vi ſuâ magneticâ attrahe-
et, & liquorem hunc nutritivum ſibi
ſſimilaret. Hic coquus, ſive Spagyri-
us naturæ laborator, ſi in ſingulis par-

 tibus

tibus ſuo & ſeparationis & conſervationis officio legitimè fungitur, omnia in corpore humano benè habent, adeſtque erectica ſanitas. Sin minus, hoc fonte derivata clades, morbus, mors, in hominem effluxere.

Qua ratione hæc omnia fiant, ſequens naturæ, & naturalis Archei labor, condocefacit.

Omne quod comedimus ſeu bibimus, ſive liquidum ſit ſive ſolidum, retinet ſecum boli ſive lutoſi aliquid, vel aliquid lapilli reſoluti: videmus in aqua pura, quæ quamvis nondum ſit excocta, ſed ſimplex in ſcaturigine ſua exiſtens, quantam mucilaginem lutoſam bolarem ad lapides deponat, ita ut tractu temporis novâ ſuperinducti ſubindè lapides cruſta, ſi frangantur, plicas interius ceu terram foliatam multipliciter referant. Vnde etiam illa aqua fontana magis depurata & ſalubrior putatur, quæ illam mucilaginem lutoſam in fundo ad lapides copioſe deponit.

Quid quod Aqua ipſa, Elementum & matrix omnium lapidum, mineralium, & metallorum ſit, materiamque lapideam, mineralem, ſalinam, contineat? quæ ſi ſufficientèr excoquatur, vel deſtillatione ſeparetur, adhæret

illud

illud contentum, lutoſum vel lapideum, in Vaſe, quemadmodum vini fœx ſive Tartarus in dolio.

Si itaque aqua limpida matrix eſt, tot mineralium, ſalium, lapillorum, mucilaginis lutoſæ & bolaris? quidni plus alieni excrementi obtinebit excocta, hordeata, lupulata, tritici, avenæ, aliorumque incoctorum leguminum, juſculis infecta, quæ proprias fæces mucilaginoſas, viſcoſas. tartareas, ſalinas, fovent? De quibus fæcibus ex reſolutis ſubterraneorum mineralium ſpiritibus Vegetabilia, ex Vegetabilibus Animalia, ex utrorumque aſſumptis, corpora noſtra, participant. Hæc de potulentis.

De Eſculentis præter legumina modo dicta, omnia quæ ex terra naſcuntur, penes ſe eundem illum mucilaginoſum, viſcoſum tartarum, diverſa ſalium genera obtinent (quæ in reſolutione Spagyricorum ad oculum & manum exhiberi poſſunt.

Quibus non parum de ſuo conferunt illa loca ubi agri ſtercorantur, in quibus plures lapides reperias, viſcum & ſalia diverſa, quæ in ſtercoribus illis tractu temporis reſolvuntur, & agrorum fructibus poſtmodùm innaſcuntur.

Vno verbo. Nihil puri eſt. In corpore itaque noſtro, neceſſariò & ritè fieri debet illa puri ab impuro ſeparatio.

Hæc autem Separatio, aut Coctio fit quadruplicitèr.

1 In Stomacho. 2 in Hepate. 3 Renibus. 4 Singulis partibus; eorumque Miniſtris.

Prima Coctio & Separatio in Stomacho. Si illud quod comedimus vel bibimus, multùm continet illius mucilaginis lutoſæ vel lapilloſæ; & ſuperius ſtomachi orificium, plus æquo calidiùs, fervidum ſimulque anguſtum exiſtit, aqueum illud mucilaginis vehiculum ſenſim evaporando, conſumitur reliquo manente & ad orificium ventriculi adhærente illius mucilaginis Tartareæ craſſamento, quod à calore & fervore anguſtioris orificii, diſſipata ſuæ humiditatis parte, in uſneam, lutum, & lapillos, vi ſalis coagulativa coagulatur, & tractu temporis non tantùm induratur ſed orificii fervore in calcem longo tempore quaſi reverberatur. Vnde illa Stomachi Orexis ſive ardor, qui in potatoribus. vel poſt copioſius hauſtum generoſum vinum (quod acutiſſimum Tartarum fovet, ibidem-

ibidemque loci vel deponit, vel vſneam illam exuſtam reverberat, calciſque in modum, quaſi cum calx hæc aquâ perfunditur, accendit,) ſimilem & Phlogoſin, & dolores ardentes, excitare ſolet; præſertim ubi illud Orificium, propter illum lutoſum Viſcum ſeu Vſneam adhærentem exactè non clauditur. Conſequenter ille ex vino & aſſumptis, præſertim aromatum calidioribus, volatilis ſalium ſpiritus, ſuperiora petens, Oeſophagum uſque radicem linguæ, quaſi continuato incendio cremare & adurere ſolet.

Et hæc de Tartaro bolari, lutoſo, viſcoſo, Stomachi.

Sequitur Lapilloſi Tartari generatio.

Si illa quæ comedimus aut bibimus, arenoſum & lapideſcentem in ſe, utpotè in aquâ, vino, & potulentis, delitеſcentem Tartarum fovent; ſi ſpiritu illo in ſe ſalino, & calidioris orificii fervore, coagulantur, cum tempore indurata magis magiſque figuntur. Exinde variorum (pro diverſitate ſalium) criſtallorum, lapidum, grandinum, generationes exiſtunt. Qui in orificio Stomachi & ſummitate, non equidem ardores, ſed in aſſumptis & bibitis, in

deglutiendo dolores compreſſivos & deglutitionis impedimenta excitare ſolent.

Vterque ille vel Lutoſus, vel Lapideſcens Tartarus, niſi ex ſupradicta orificii anguſtia, vel nimio ſervore aduratur, & coaguletur, in aſſumptis latens tranſit unà ad interiorē ventriculi capacitatem, Si ſatis ſufficiens & robuſta eſt ventriculi, & bene digeſtiva ſequeſtratio, ſeparatur legitimè. Si non ſatis valida, illud aſſumptorum lutum & Viſcus non ſufficientèr ſeparatus, in plicis ventriculi adhæret. Si eſt ex lapidoſi Tartari reſoluti' genere, in lapides proprio ſalis ſui ſpiritu, aut vero temporis tractu in bolum' coagulatur; prout in nonnullorum & brutorum & hominum ventriculis, utroſque & bolares & lapilloſos duriores, ſectione exemtos, obſervatum eſt.

Et hæc de utriuſque & bolaris Tartari, & lapillorum generatione, in Ventriculo.

Ordine naturæ ſequuntur Inteſtina; quæ nihil aliud ſunt quàm Ventriculus continuatus. In iiſdem ergo par ac in Ventriculo, eſt Tartarorum prædictorum generatio, quæ plurimis inteſtinorum affectibus cauſam & materiam facit.

facit. Si enim aſſumpta, ſive liquida ſive ſolida, legitime & ſufficientèr digeſta excocta & elaborata in Ventriculo ſunt, benè habent omnia; ſin minus, cum ſterquilinio commiſta ſunt, cruda, ſemicocta, male ſeparata Tartari excrementa (dum in iiſdem inteſtinis illis excrementis ſupervenit ſimul ex ſalibus excrementorum male ſeparatis non digeſtis, vis coagulans, figens) pro diverſis ſalibus in excremento commixtis, diverſus viſcus, diverſa mucilago, diverſus bolus, diverſi lapilli, generantur; qui quo duriores & fixiores, eo atrociores dolores, ſymptomata vehementiora, affectus diuturniores, & incurabiliores reddunt; quo magis accedunt ad viſcum, & mucilaginis naturam, bolares, reſolubilioreſque exiſtunt, minoreſque & curatu faciliores reddunt affectus,

Brevibus hic ex Tartaro ſive coagulato ſive reſoluto, principalium in inteſtinis affectuum catalogum, generationis ordinem & cauſam, non ſine cauſa deſcribere lubet.

Ex Inteſtinorum igitur Tartaro coagulato, generatur ut plurimum, Alvi conſtipatio, difficultas excernendi, durities ſterquiliniorum, tumor, flatus,

 tym-

tympanitis, & tormina circa umbilicum.

Ex Reſoluto Tartaro, Iliaca, Colica, Convolvulus, Vomitiones, Roſiones, Diarrheæ, Tenaſmus, Inteſtini recti fiſſura, Exulcerationes, & aliæ plures inteſtinorum ægritudines, quæ ſequenti ratione fiunt.

Stomachus rite officio ſuo fungens, in aſſumptis omnibus, hanc trium in iiſdem latentium principiorum, ſalis, ſulphuris, & mercurii, ſemper facit ſeparationem. Primum, Craſſiſſimum Sulphur, videlicet ſterquilinia, ſeparat per inteſtina (qui non vult credere eſſe id ſulphur, accendat crepitum ventris, vel ſterquilinium aridum, videbit, & olfaciet ſulphur id Microcoſmicum) poſtea Mercurium & Sal, mittit per Meſaraicas ad Hepar. Hepar Mercuriales & ſubtiliſſimè elaboratas partes, pro nutrimento ſingularum partium ſeparat, & Sal amandat ad Renes, quod poſtmodùm cum Vrina excernitur, Si itaque vis expulſiva non ſatis validè & ſufficientèr hæc excrementa, & per convenientia loca ſeparat, confunduntur æquè illa ſeparanda principia, & ſic combinatur & confunditur Sal, cum ſulphure inteſtinorum, unde excrementa

menta exſiccantur, indurantur; alvus ſiccatur, conſtipatur; unde difficultas excernendi, tumor & flatus intercepti. Si vel naturæ, vel medicaminis beneficio, ille Tartarus tales conſtipationes cauſans reſolvitur, hæc omnia ſimul ceſſant & diſpereunt. Si permanet ille conſtipans Tartarus cum induratione fæcum, tractu temporis magis magiſque induratur, & figitur, inſignia circa umbilicum tormina fiunt; flatus intercipiuntur & foventur, ac propter ſummam illam conſtipationem non inveniunt exitum, unde Tympanitis, illa falſò æſtimata à Medicis Hydropiſeos ſpecies.

Omnes prædictæ inteſtinorum affectiones ortum habent è ſale, ſive Tartaro coagulato,

Sequuntur illæ, quæ è Sale ſive Tartaro reſoluto, eoque vel acutè feriente vel dulci ac mitiori generantur. Vt ſunt Iliaca, Colica, Convolvulus, Vomitiones, Roſiones, Lienteriæ, Dyarrheæ, Dyſenteriæ, Tenaſmi.

Superiùs dictum ſi Stomachi Archeus rectè ſeparat, Sulphur ad Inteſtina, Mercurium & Sal ad Hepar & Renes eum tranſmittere. Si igitur illud Sal inteſtinorum non ſufficienter ſequeſtratur, tractu temporis acuitur & rever-

ſeratur; illudque eandem peregrinum & acutum in Inteſtinis ſal ſi reſolvitur, Colica, Iliaca, & Torminibus, percutit. Si in majorem acrimoniam, per temporis & reverberii diuturnitatem Exaltatur, nec virtute expulſiva ſecernitur, Eroſionibus, fiſſuris, exulcerationibus, Dyſenteriis, teneſmove, & reliquis rodentibus affectionibus, ex ſale acuto reſoluto, ferire ſolet. Ex ſale è contra mitiori & dulciori reſoluto, Lienteria, Dyarrhea ſpontanea, Semicrudorum excrementorum, Alvique, fit dejectio, Morbique omnes procedunt Hermeticis dicti diſſoluti.

Breviter hic recenſiti fuerunt affectus ex Tartaro Inteſtinorum, vel coagulato, vel Reſoluto, utroque vel acutiori vel mitiori, oriundi in Ventriculi & Inteſtinorum Prima Coctione. Excipiat hanc jàm ſequens Coctio Secunda.

Secunda Coctio & Separatio, quæ fit in Hepate, conſiſtit in ſequeſtratione Rubini ſeu ſanguinis pro nutritione ſingulæ partis, à Criſtallo Vrinario.

Omnia aſſumpta, in Stomacho & Inteſtinis ritè digeſta & ſeparata tranſmittuntur ad Hepar.

Si hujus vis Separativa debilis eſt, ſenſim

ſenſim ſenſimque fit Hepatis ex Tartaro oppilatio, cui ſuccedit cum abſceſſu durities, unde diſtribuendorum nutrimentorum impedimenta, Atrophia, diſcoloratio, Cachexiæ ſpecies, Sitis, Tumores pedum, Hydropiſes, & Nauſea, quia nutrimenta ex illa obſtructione reſtagnant in Stomachum.

Ille Tartarus Hepatis Chronicus, tandem & computreſcens, maturatur.

Si hunc vis Expulſiva Hepatis tandem expellere nequit, adventicio nutriente liquore defraudatum Hepar, ob obſtructionem Tartari, proprium liquorem inſitum adoritur & conſumit, ac inde areſit. Vnde ſitis, fiſſuræ labiorum, linguæ ſiccitas, & conſummata Hydropiſis.

Talia non tantum in Hepate, ſed in vicinis & miniſtris receptaculis, lienis, venarum Meſaraicarum, lactearum, glandularumque, ex obſtructione, & putrefactione Tartari orta, fomitem dedere hactenus tot Hypochondriacis, ex infarctu Tartareo affectibus, ut dolori compreſſivo flatulento, & præpedito nutrimento Hecticæ conſumptioni, Atrophiæ, Scorbuto, Melancholiæ; Et præſertim ex aceſcente ſeu Vitriolato Tartaro, roſionibus, obſtructionibus

fixis.

fixis diuturnis, Quartanæ, pluribus aliis. Quarum impuritatum plenior eſt quàm Augiæ ſtabulum, hæc Hepatis & vicini Lienis, ac Meſaraicarum, Regio.

E contra, ſi ſufficiens & ſatis valida eſt tùm digeſtio tùm ſeparatio in Hepate, omnia habent benè, & præfatæ partes liberantur ab hoc Tartaro; tranſmittitur enim cum Sale Vrinario ad Renes, in quibus Tertia Coctio exiſtit. De qua ſequentia.

Tertia Coctio & Separatio in Renibus exiſtit, nimirum Salis reſoluti. Quod Vrinam vocamus.

Hic vrinæ Tartarus, quia per plura longaque digeſtionum & Coctionum examina tranſivit, omnium prædictorum tartarorum ſpeciebus eſt acrior, acutior, ſubtilior, celerior, penetrantior etiam in diſſita loca, propter ſubtiliationem, & volatilitatem, propiuſque approximat ad naturam ſalis acuti, nonnunquam armoniaci, nitroſi, vitriolati; nonnunquam calcis vivæ, prout aſſumptorum ſuorum redolet indolem.

Hic Tartarus Salis Vrinarii, ſi adhuc reſolutus, & nondum coagulatus eſt, & paulatim in coagulum ſuum vitio renum abit, & in cavernis Renum (ceu Tartarus in vini dolio) per novam ſen-

ſim

ſum appoſitionem agglutinatur, exurgunt per diverſa ſuæ coagulationis & adhæſionis tempora, illa ſymptomata periodica, dolor dorſi circa regionem renum & muſculos, Ψώαι, paucitas Vrinæ tinctæ nimis, nonnunquam cruentæ, ardor urinandi, ulcerationes, ſanies, dolores à dorſo ad pecten excurrentes & ſæpius Colicam mentientes, & ex his nauſea, vomitus. Hæc de ſale Vrinario reſoluto.

De Coagulato fixo, ſequentibus breviſſime. Omnia quæ aſſumuntur ex tribus conſtant principiis, Sulphure, Mercurio, & Sale. Stomachus ſulphur ſeparat in ſterquilinium, Mercurium ſive nutrimentum ſingularum partium ſeparat Hepar; & reliquum quod non nutrimentum eſt ad renes tranſmittit, videlicet Sal, reſolvitque in Aquam, quæ dicitur tùm Vrina. Vrina ergo cum ſit Sal ab Hepate reſolutum in aquam, ſi illud Sal in ſuam primam indolem, & originem (prout in variis aſſumptis illa indoles varia eſt, vel ex boli, vel ex lapillorum natura, utramque enim obtinere omnia aſſumpta ſuperius demonſtratum eſt) rurſus coagulatur, fit, ut longo tempore figatur, reverberetur. Si eſt de natura boli fit lapis friabilis, mollis,

molliſ, ut plurimum mitis. Si ex lapillo, fit arena, grandines, criſtalli, lapides duriores incurabiles, nec ſolvi faciles, prout illa ſalis alia atque alia eſt vis coagulans, tùm mitior, tùm acutior. Ex acutiore enim & rodente, in viis urinæ, renum, ureterum, veſicæ collo, fiunt illæ roſiones, exulcerationes, dolores acuti, ſanguinis & puris mictio,

Hæ coagulationes, ſi in renibus & primis urinæ viis non accidunt, prædictis omnibus affectibus liberantur ægri; tranſitque ille Tartarus vel bolaris vel lapilloſus, ob internam veſicæ capacitatem. In qua tùm ipſius vi congelante, tùm ſalis Vrinarii ſpiritu coagulante, & ex indole ſua, vel in bolum, vel lapidem duriorem, utrumque majorem; ob veſicæ capacitatem, & fortiorem Vrinæ ſpiritum, compingitur.)

Brevibus explicata Tertia in Renibus coctione & ſeparatione, naturaque Tartari in his locis vel ſoluti, vel coagulati, neceſſario pro meliori illius Tartari in juncturis cognitione, ad quartam Coctionem & Separationem deveniendum eſt.

Quartam Coctionem & Separationem in ſingulis partibus, adorior, Conſiſtunt enim in harum particula-

rium

rium coctionum uberiori explicatione; ægri doloroſi affectus, præſertim in omnibus & ſingulis hinc inde articulationibus, maximè Sciæ, genuum, & pedum, potiſſimum ad loca tarſi, metatarſi, & ſpondylii utriuſque, digitorum inſuper pedum. Quæ affectiones uno nomine Podagra dicuntur. Quam Hypocrates πολυχρονιοτάτην, καὶ δυσαπαλλακτοτάτην, dicit.

Præ omnibus teliquis itaque Arthritidis ſpeciebus illius affectus ægri exegeſin (quantū tamen licet ob breve illud temporis & obſervationis propriæ ſpatium, quo adeſſe licuit, & dextrè augurari conceſſum) dabo ſequentibus.

Quâ ratione Tartarus in ſingulis partibus generetur, & cum quibus ſymptomatibus, dictum eſt ſuperius.

Quomodo autem in has remotiſſimas partes, manuum, pedum, & omnium hinc inde articulationum cavernas ſeſe ingerere, inibique dolores excitare poſſit, dicendum reſtat.

In primis Regionibus adhæret Tartarus crudus, craſſus, bolaris, ut plurimum & lutoſus, quia ad remotiora corporis per poros, venas capillares, & exiles ductus, nervos, & alios canales bene-

penetrare ob groſſitiem ſubſtantiæ ſuæ nequit, ſed in primis viis hærere & perſiſtere cogitur.

Craſſamenti ratio hæc eſt, quod in primis digeſtionis naturalis inſtrumentis, utpote ventriculo, utroque illius janitore & gula, crudum & groſſum illud tantum ſeparatur; In ſecundis ut Hepate, & illius confinio Meſaraicarum venarum ductibus, ſubtilior fiat filtratio, digeſtio, deſtillatio, ſeparatio tenuioris & ſubtilioris Tartari; In tertiis, utpote Renibus & illorum adminiſtris partibus, ſubtiliſſima impuri ſubtilioris; In quartis, videlicet ſingula parte, vel parenchimate ſingulo, per cruorem, madorem, ſudorem inſenſilem, διαπνοὴν, per delicatiſſimum illum naturæ laboratorem Spagyricum cujusque partis, filtretur, diſtilletur, purumque ab impuro gnavitèr ſeparetur.

Magnes igitur ille qui ſubtiliſſimum & volatilem Tartari ſalem, ad extremas articulationes attrahit, eſt vis illa & facultas ſingulis partibus ſuum nutrimentum attrahens & aſſimilans, cui malè ſequeſtratus Tartarus ſæpiſſimè commiſcetur. Et quoniam hoc ſal ibidem loci inidoneum eſt, fit, ut ipſe ſanguis

guis talem male feriatum & peregrinum hoſpitem ægrè ferens, eliminet, & ad cutim ſi poteſt, vel articulationes, amandet. Hoc ſal peregrinum, amarum, acutum, ponticum, & alieni ſaporis, ſi cum dulciſſimo illo articulorum ſale Synovia) Germanis Gliedvvaſſer) commiſcetur, exindè fiunt illæ ebullitiones, incendia, dolores, turbæ in articulis, ſeparationes item principiorum, perinde acſi acetum cùm lacte confundatur, aut cum diverſa ſalia reſoluta, & diverſi ſpiritus (quod in Tartaro vulgarti vitriolato, vel aliorum Menſtruorum confuſione, videre eſt) invicem præcipitentur. Ex quorum ſalium commixtione, ebullitione, illi tumores articulorum fiunt, perindè acſi aluminoſum ſal uſtum, ſuis ſpumis attolli, & rarefieri videas.

Accedit etiam, quod pro diverſorum aſſumptorum natura, diverſa ſint Tartari genera, alia craſſiora, dulciora, mitiora, ut ex aqua, leguminibus, fructibus, quæ in primis viis adhærent; econtra etiam ſint alia acutiora, magis ferientia, ſubtiliora, & penitiùs intrantia, ut ex vino, ſaccaro, melle, aromatibus, & eorum nimio uſu.

Secunda cauſa eſt, quòd ad tam diſſitas extremitatum partes & juncturas

tartarus

tartarus pertingere ſoleat. Quia omnia quæ aſſumuntur, ſingularem & ſpecificam proprietatem cum quavis corporis parte nutrienda obtinent. Exempli gratia, ſi ſolo pane veſcaris, ex illo ſolo, ſuam nutrimenti partem accipit cor cerebrum, caro, nervi, articuli; hacque ſua proprietatis aſſimulatione ad quamvis partem nutriendam, ſæpius cum nutrimento ſuus commixtus tranſit tartarus ſimul, ad cor, cerebrum, carnem, nervos, & ad omnes partes.

Quod vero non in omnibus partibus articulorum dolorem excitat, cauſa ſubeſt, quod in aliquibus locis naturalis Archei vigor, reſolvere & liquare tartarum poſſit, in aliquibus nequeat; abſque hoc omnis homo arthriticus & calculoſus eſſet neceſſariò.

Cur autem ille Tartarus ita fixus hæreat, nec naturæ beneficio cum tempore diſſipetur, conſumeturque, cauſa eſt, quod omnis juncturarum Tartarus ſal ſit; quod coagulatum cùm eſt, non niſi in aqua reſolvi, & liquore hoc ſoluto educi poteſt: vel per ſuam ipſius liquationem (Tartari calcinati more) ſolvi ejicique queat.

Cur autem non fit illa liquatio, Siccitas illa Tartari, nimia, coagulativa & figens,

figens, in cauſa eſt. Vt hic juncturarum Tartarus, vel in grana, vel in duriſſimos lapides, & nodos podagricos cogatur, prout eſt cujuſquè ſalis ad granula vel tophos generandos, à natura prædeſtinata indoles. Quæ etiam cauſa eſt diverſorum dolorum, diverſorum paroxyſmorum, diverſarum periodorum, & quod hoc vel illo tempore, hic vel ille dolor, hæc vel illa juvantia, hæc vel illa lædentia, proſint vel obſint.

Sic humido nonnunquam Cœlo, reſolvitur Tartarus, & ex reſolutione in ſpumas & tumorem attollitur, ſicut alumen uſtum. Frigido aëre condenſatur & congelatur. Sicco figitur. Calido acuitur Vnde tàm dubiæ indicationes medicis enaſcuntur adeo ut (juxta proverbium) ibi aqua hæreat ſæpius, quid etiam experientiſſimis, quos ita ludit, medicis, agendum ſit.

In hoc dubitantium Medicorum labyrintho Ariadnes filum eſto, ſequens brevis ſed ſufficiens curandi ratio.

Dixi in Definitione, AEgri affectum, eſſe Vniverſalem Tartarum, & eſt in omnibus hinc inde articulationibus & juncturis. maximè pedum; nec in juncturis tantum, ſed aliis inſuper locis, Veſica, Renibus, Stomacho; Vnde

ardor Stomachi, Calculus, dolor Nephriticus; lotium ſabuloſum bolare, & crudum Vrinæ ſedimentum.

Dixi, cum Sale acuto. Acrimoniam ſalis oſtendunt acutiſſimi dolores, Nephritici, Arthritici, Colici, maxime Iſchiatici, & Podagrici. De cauſa & modis generationis hujus Tartariæ dolorificæ, dictum ſuperiùs in affectibus Renum, & Tartaro juncturarum in quarta Coctionis & ſeparationis claſſe. Cur periodos ita variet ibidem etiam dictum.

Dixi, Impediens actiones naturæ neceſſarias, & laudabiles. Poſt labores enim illos tartareos, & in laboribus ipſis, vidi ægrum nec incedere, nec laudabile nutrimentum, ac robur pedibus, nec univerſo Syſtemati corporis acquirere poſſe.

Brevi & ſimplici, ſed veritatis proprio ſtylo hæc dicta, excipit curandi ratio.

Curandi autem hæc ratio, conſiſtit, nec in Phlebotomia, nec Scarificatione, nec Cauteriis, nec alterantibus, nec purgantibus, nec diaphoreticis, ſive ſudoriferis, Revera! Attamen plures incurabiles habiti (ſine faſtu & verè dicam) cum bono Deo curati ſunt.

Quo

Quo igitur modo? inquies.

Reſpondeo. Sola reſolutione Tartari, per ſpecificum & Vnicum omnium alium ſolvendorum arcanum, Ita ut Mechanico illi arthritico, malleus & omnia ſubtrahântur inſtrumenta cudendi Tartarum; fabrefactuſque Tartarus cum confortatione membrorum, eſolvatur. Quo ſoluto Fata & natura pſa viam invenient, quâ eiciant. Ita elit Fatum Divinum, ejuſque amanuenſis natura, in ſalutem ægri, quam anitus precor in ſolius Dei noſtri gloani.

Hucuſque verba CNEVFFELII.

III.

QVod Tertium Articulum attinet, nempè, quidnam ipſemet ulis viderim, linguâ guſtaverim, & uſu obſervaverim in Medicina Cneuſiana? Hæc ſic habeto.

Tradiderat mihi liquorem quendam tillatum pellucidum, qui vehiculum t inditi cujuſdam minutiſſimi pulviuli, in fundo lagenæ, tum, cum lagena n commoveretur, & diutiùs quieta ret, deſidentis. Hic pulviſculus caput t totius rei. Monſtraverat mihi eum

 quodam

quodam die in exigua pixide eburne
aſſervatum; ponderoſus fuit admodum
coloris obſcurè ſubrubentis, qualis ſo
lent eſſe garyophyli Indici recentes, o
vetuſtatem nondum ad nigredinei
vergentes; Sed hic quem in pixide vidi
nondum fuit ita minutus uti in lagen
erat, ſed quaſi ex granulis exiguis con
ſtabat, inſtar pulveris minutioris bom
bardarii. Saporis erat nullius, habeba
ſaltem in ſe aliquid ſtipticum, cùm lir
guâ diutius exploraretur. Exigua quar
titate liquori ſupra memorato indeba
tur; Exempli gratia cantharo quadra
ginta Vnciarum, unum ſe tantum gra
num indere dicebat Ex qua materi
conſtaret hic pulvis, nec ipſe ita fu
ſimplex ut diceret, nec ego ita impu
dens, ut interrogarem, jure veram re
ſponſionem negaturum.

Quoad liquorem, In eo inter cæter
evidenter guſtu deprehendebatur Sp
ritus vitrioli. Admiſcebatur ei ut gra
tus acidularum in morem ſapor redde
retur Iulapium Violaceum, aquo Iula
pio, liquoris color, quandiu commixti
eſſet recens, manebat ſubviolaceus
cum vero mixtio veteraſcebat fieba
ſubruber.

Aſſervari autem jubebat liquore
illu

llum cum indito in eum pulviſculo, in agenis accuratè obturatis, in cellario rigido, nec unquam in calidiore aëre ollocari, ut tanto gratiorem palato ſa-orem retineret.

Hujus liquoris ſingulis diebus tria itra exhaurire imperabat, in hunc mo-um. Iubebat emi vitrum quatuor Vn-iarum capax. Hoc in manum accepto, z alterâ mânu apprehenſa lagena cum quore, primò lagenam illam fortiter iceutere aut conquaſſare jubebat, ut a quæ per longam quietem in fundo eſederant, per Vniverſum liquorem pargerentur, tum vitrum illud, frigido to liquore replere, & ilicò ebibere ju-ebat.

Primi vitri hauſtum præcipiebat hora atutina ſexta, aut ſeptima, jejuno cor-ore, ſine cuſtodia. Poſt hauſtum jeju-are quatuor horis, aut ad minus tribus, mperabat. Prandere poſt jubebat, uod quiſque vellet, citra ciborum de-ctum, hac una cautela adhibita, ne un-uam ederetur aut biberetur ad reple-onem nimiam.

Tribus horis poſt finitum prandium xhaurire jubebat ſecundum vitrum, & erum jejunare quatuor aut tribus ho-is, & demum cœnare frugaliter.

Elapſis tribus horis poſt cœnam finitam, tertium vitrum exhaurire jubebat.

Quod autem jejuno ſtomacho uti hoc medicamento juberet, ratio erat ne operatio ejus ab infarctis cibis obtunderetur.

Quemvis, pro victus, condicionis, & vacationis ſuæ, ratione, deligere ſibi poſſe horam ajebat. Exempli gratia, ſi cui intercederent inter prandium & cœnam horæ à cibo vacuæ octo, in medio hujus ſpatii jubebat ſumere hoc medicamentum, nempe quatuor horis poſt prandium, & quatuor horis ante cœnam; Si cui ſex horæ tantùm intercederent, ſumere jubebat tribus horis poſt prandium, & tribus horis ante cœnam. Minus tempus non admittebat.

Pulviſculo autem ſupra ſæpiùs adducto, alios quoque pro vehiculo ſe dare aliquando liquores ajebat, ut aquam Cynamomi, Borraginis, Petroſelini, & his ſimilium, pro morbi diſpoſitione, & interdum ægri appetentia.

Aliquando in diſcurſu quodam prolocutus fuit, ſe eo pulvere etiam curare Epilepſias, Manias, Melancolias, Quartanas febres; ut Vniverſale quoddam illum eſſe, non obſcurè innueret.

Medicamenti hujus uſum, In magnis & per

& perfecta inveteratorum morborum Curatione, ſingulis ſine intermiſſione diebus, continuari volebat, plerumque unius anni ſpatio (quamvis tàm pertinaces etiam morbos, aliquando inveniſſe ſe diceret, qui biennio demum vincerentur). In non inveteratis morbis, deſiderabat triginta duarum ſeptimanarum tempus. In minoribus Curationibus, & recentibus morbis, medium tantùm hujus temporis, & interdum novem tantum hebdomadas poſcebat.

Tota Curatione permittebat deambulare, itinerari, equitare, ſine ulla cuſtodia, & omnibus qualibus quiſque vellet laboribus fungi.

Si fortè in præſcripta mihi Curatione moleſtior aliquis arthriticus paroxyſmus accideret, qui articulos aliquos crudelius inflammaret & cruciaret; Extrinſecum etiam medicamentum priori addendum reliquerat iſtius modi: Dederat in parva lagena, (ut dicebat, Rectificatum Spiritum Tartari (aqua erat pellucida, æquè violenta atquè aqua fortis aurifabrorum, quæ ilicò corrodebat omnia linteamina, & omnes pannos quoſcunque attingeret) cui pulvis quoque quidam ruber in fundo deſidens, immixtus erat. Ejus aquæ erat uſus

 talis.

talis. Lagenula conquaſſabatur fortiter, donec ab excitato pulvere turbidè rubeſceret liquor; Tum effundebatur ejus liquoris benè jam cum pulvere commixti, nonnihil in cochlear argenteum, & ſuper prunas candentes collocabatur cum cochleare, ut paululùm incaleſceret, & inſpiſſaretur; quamprimum fumare incipiebat liquor, amovebatur cochlear ab igne, & eo liquore locus afflictus, tumens, ſeu inflammatus affatim illiniebatur plumâ aliquâ. Locus illitus tandiu non tegebatur, donec liquor illitus diſpareret, & per ſe ſiccaretur; tum dèmùm applicabantur deſuper linteamina calida.

Repetebatur iſta illinitio quinquies 6. 7. 8. 9. 10. & etiam Vicies de die, tandiu donec aut dolor vinceretur, & ceſſaret, aut puſtulæ parvæ in loco illito apparerent, ulteriorem illinitionem ob mordacitatem liquoris non permittentes. Tum eo die ceſſabatur, & locus illitus ſpongiâ vino calido imbutâ detergebatur & lente purgabatur. Quod ſi poſtero die puſtulæ illæ diſparerent, & dolor adhuc permaneret, eadem illinitio repetebatur, donec omnis dolor & afflictio periret.

Si quis medii anni ſpatio, notabilem pro-

profectum ſupra ſæpius adductæ potio-
nis, non animadverteret, non ſentiret;
ſed æquè ut antehac infirmaretur, eum
pro deſperato, & à Deo ad has pœnas
condemnato habendum eſſe dicebat.

Signum Medicamenti proficientis,
& benè contra morbos pugnantis, in-
ter cætera eſſe ajebat, Vrinas turbidas,
ſalitas, ductus Vrinarios modeſtè velli-
cantes, titillantes.

Curationem ritè peractam, & ex
voto abſolutam eſſe, ex eo dignoſci
ajebat. Quando æger meliùs valeret,
quàm decennii proximi decurſu value-
rat, vel inſigniter mitigatis, vel prorſus
ſublatis omnibus doloribus. Quando
lectulo amplius non adhæreret; quan-
do rectè incederet, fungereturque me-
liori vigore & robore facultatum omni-
um, non tantùm manuum & pedum ſed
& Vniverſi corporis. Quando item be-
ne comederet, bene dormiret, ſedatis
iis omnibus, de quibus antea conque-
rebatur.

Quandoquidem de Doctoris Cneuf-
felii arte hic quoque agitur, & non
de ſolo inuſitato & admirabili medi-
dicamine ejus contra Podagram (quam-
vis hoc ſit præcipuum) Iuvat etiam at-
tingere nonnullos peculiares ipſius in

Medicina ſenſus, differentes à quotidianis Medicis

Sub id tempus, quo Acidulæ accedi & frequentari ſolent, & cum jam in procinctu eſſem, ut eas adirem, nempe diebus ipſis Canicularibus, ex improviſo venerat Doctor Cneuffelius in Hollandiam; Hinc interrogatus à me inter cætera, num Acidulas etiam in ſua Curatione admitteret? Reſpondit, Superfluum quidem id eſſe in ſua Curatione, Attamen non repugnare Curationi ſuæ, ſi cum Acidulis ipſis medicamento ipſius quis uteretur, citra tamen tantam ingurgitationem aquæ, qualis in Acidularum Vſu commendatur.

Phlebotomiam non permittebat, niſi raro admodum, & in parva quantitate. Sanguinem enim eſſe alteram vitam ajebat; quæ vita cum eo, non ita temere profundenda eſſet, uti toto Orbe hactenus impunè peccaretur.

Fonticulum in femore pedis dextri ſupra genu, in parte domeſtica ſeu feminine poſitum habebam, quem lubenter occluſiſſem, quod equitationem impediret, non modo nihil miraculi præſtaret, ſed etiàm jam ſemel atque iterum, ſinus, abſceſſus, ſeu cameras

cum

rum exulcerationibus juxta genu pe-
pererat, metuſque erat ne hæc mala eo
loci ob hunc fonticulum in aſſuetudi-
nem venirent, Sed Galenici mordicus
contradicebant, & ſi hoc facerem vitæ
periculum intermmabantur, Conſului
igitur D. Cneuſtelium, qui eum occlu-
dere juſſit; fonticulos enim pro Cura
& præſervatione in articulari ægritu-
dine, non modò inutiliter, ſed ſtultè
etiàm poni dicebat.

Si fortè contingeret, iterùm me in
remotioribus regionibus ſervitio bellico
implicari, ubi nec Doctoris Cneuffelii,
nec incognitorum ipſius medicamen-
torum copia foret: Rogabam ut mihi
aliqua medicamenta nota, & paratu fa-
cilia, præſcriberet; quibus non tantum
ſanitatem Deo volente per ipſum reſtau-
randam, poſteà tueri poſſem; ſed etiam
occurrere aut iiſdem revenientibus, aut
aliis ingruentibus morbis. Ad hoc in-
terrogatum ſcripto peculiari in hunc
modum reſpondit.

Cum bono Deo.

De futuris contingentibus, nec in
Philoſophia nec in Medicina, eſt deter-
minata Veritas; Quare ex inclinatio-
nibus frequentioribus, & in habitum
proximis, prudens Medicus futurorum

 pro-

prognoſin modeſtè facere poteſt, & debet.

In diſpoſitionibus ergo Domini Colonelli, in futurum morboſis, tres malorum quæ metuo facio Claſſes

In Prima Claſſe. Eſt Tuſſis illa poſt paſtum ſuis periodis nunquam intermittens, quæ certiſſimum facit argumentum Salis in Cerebro reſoluti, deſtillantis ad fauces, eas vellicantis, eroſuri ſui temporis & reverberii incremento pulmonum ſubſtantiam (faxit Deus falſus ſim Calchas) & conſequenter conſumpto Pulmonum balſamo, univerſum corporis Syſtema, ærugine Phtiſicâ conſumpturi.

Hiſce præſentibus diſpoſitionibus ut & futuris in habitualem affectum, Oppono Balſamica, quæ virtute ſuâ unctuoſâ fixâ, erodentibus ſalibus & æruginiſ, ſuâ dulcedine unctuoſâ acrimoniam temperando, ſicque æruginem prohibendo, & non tantùm præſervando, ſed etiam curando, medentur.

Hæc pro indole & temperamento & eâ quam ipſe vidi Domini Colonellii conſtitutione, in formula ſequenti ſufficiente brevitate ſunt congeſta.

Recipe Florum Sulphuris, ter à Colcothare ſublimatorum, drachmas tres.

Anti-

Antimonii fixi Diaphoretici Vnciam unam. Maſticis drachmas duas. Succini albiſſimi drachmas duas, Croci Orientalis ſcrupulum unum. Specierum Diatragacanti frigidi, ſemi Vnciam. Saccari albiſſimi Vncias ſeptem. Cum duodecim circiter guttis Olei Aniſi. Fiant Tabulæ ſive Rotulæ paulo majores ſtufero.

Et hæc formula ſeu Compoſitio eſto, pro Tuſſi, & inclinatione Phtiſica.

Hæ Rotulæ ſi Tuſſis urgeat (abſoluta tamen prius meâ prædictâ Vniverſali curâ) ſingulis noctibus numero ſex, ſeptem, vel octo, cubitum eundo: Vt & totidem (niſi ex illo Vnico Vſu malum remittat) mane horâ ſextâ, vel ſeptimâ, vel octavâ, jejuno poſt horis quatuor uſque ad prandium Ventriculo, abſque cuſtodia tamen, ſumi, & ad aliquot, quatuor, quinque, vel ſex ſeptimanas, continuari poſſunt, ſemel vel bis in die, pro incremento deſtillationum frequentiorum, & tuſſis vel vehementioris vel remiſſioris.

Suadeo hîc à nimio pellicente defluxiones uſu Nicotianæ ſeu Tabaci, abſtinere.

Si initia & certa indicia Phtiſeos, quod Deus prohibeat, compareant,

Ter in dies. Mane, poſt Meridiem, & noctu illis rotulis utatur, ad ſingulam doſim, ſeptem vel octo earum numerando.

Hoc Medicamentum ego pro Viatico confero Domino Colonellio in defectu reliquorum, pro Vniverſali, & præſervativo, & Curativo, omnium in futurum accidentium. Quotieſcunque enim male habebit Dominus Colonellius, alvo priùs bis vel ter, per Elixir Proprietatis blandiſſimè apertâ, illis rotulis bis vel ter pro exigentia ſua ad octiduum notabili ſucceſſu uti, aut eo ſucceſſu hiſce diebus non correſpondente, cordatè tamen, ad quatuordecim, triginta, & quadraginta dies, donec meliùs habuerit, pergere continuando, poteſt.

Hic fortiorum purgantium Vſum plane interdico, in quocunque etiam affectu conſtituto.

Pro alvo expedienda & præparanda, ad ſuperiorum medicamentorum meliorem uſum, ſuadeo Elixir Proprietatis (ſi alvum movere debet) ad drachmam unam, in cereviſia calida bene butyrata, absque pane tamen, mane, jejuno poſt horis quatuor Ventriculo, ſumendum.

Si

Si Ventriculi Coctio ſimul juvanda, & Obſtructio Meſenterii ſimul reſeranda, & alvus etiam tutò expedienda eſt ad decem dies ſequenti pulvere, drachmæ dimidiæ pondere, mane, in juſculo vel bubulo, vel gallinaceo, utatur. Et ſingulo mane ad octiduum continuet, abſque cuſtodia tamen.

Recipe. Acidi Tartari Vnciam unam. Tartari Vitriolati Scrupulos quatuor. Santali Rubri drachmam unam cum dimidiâ. Spiritus Sulphuris acidi, quantum ſatis. Hoc Spiritu Sulphuris hic pulvis, quantùm illius ſpiritus excipere poterit, benè irroretur, poſtea in mortario vitreo optimè terendo miſceatur. Vniverſa hæc mixtura dividatur in Viginti doſes æquales; Quælibet doſis detur in peculiari carta.

Secunda Claſſis & Tertia, eſt ex genere Coagulatorum, ſive Calculi, ſive nodi Artetici.

Huic præſervando & curando, do pulverem ſequentem.

Recipe. Acidi Tartari Vncias tres. Criſtalli calcinati Vnciam unam cum dimidia. Tartari Vitriolati drachmam unam. Santali rubri drachmam unam cum dimidia. Spiritus Vitrioli quan-

tum ſatis. Irrorentur benè, lapide ſubigantur, teranturque, & pulvis dividatur in doſes Septuaginta ſeptem.

Præſervando. Singula hebdomade bis ille pulvis drachmæ dimidiæ pondere, in juſculo ſumi poteſt.

Curando. Ad duas ſeptimanas ſingulo mane ad pondus drachmæ unius in juſculo bubulo, aut gallinaceo ſumi debet.

Hucuſque verba D. CNEUFFELII.

Et his medicamentis atque præceptis mihi datis, undecima Auguſti, Anni 1642. idem D Cneuffelius in Comitatu Ianuſſii Oſtrogiæ & Iaslaviæ Ducis, à fratre meo in Poloniam deducti, itineri ſeſe commiſit, cum promiſſo poſt elapſum annum iterum nos in Hollandia viſitandi Deum veneror ut ſani & incolumis conſpectu, quam primum nos frui faciat.

Hæc autem de eo fuſiùs, duplici de cauſa ſunt commemorata, vir Doctiſſime. Primò, ut artem ejus & genus medendi rectè intelligas. Secundo, ut habeas quod mendacibus hominibus opponas, quorum aliqui in eo magicam magis, quàm naturalem artem; aliqui impoſturam Empiricam ad tempus breve decipientem; aliqui imperitiam ca-

lum-

ſumniantur. Videbis mox in ſequentibus fuſius quantam injuriam faciant viro incomparabili.

IV.

QVod Quartum Articulum attinet, Nempe qualem mutationem ex operatione Medicamenti Cneuffeliani, obſervaverim in me ipſo, tam ratione Egeſtorum, quam ratione Ingeſtorum? Sic habe.

Scito Corpus à natura, mihi morboſum datum eſſe. In quo præter cætera mala, conſpicua maximè fuerit annis ſedecim, illa ſupra ſæpiùs adducta, Tuſſis moleſta, cum multa expectoratione, hora ſexta poſt quemvis paſtum accedens, & amplius horæ ſpatio durans.

Neſcio an vera ſit vulgaris nautarum opinio, quod illorum viribus multum decedat, qui lineam Æquinoctialem tranſeunt, & ex uno Hemiſphærio in aliud ſe repentè transferunt. Hoc certè ſcio, ternâ Expeditione Americana, in qua ſexies Æquatorem tranſilire me oportuit, magnopere me viribus fractum eſſe. Sed forſan totties perpeſſi acriores ſoles, imbres, labores, curæ,

ſolici-

ſolicitudines ob pericula, plus momenti ad id poterant contuliſſe, quàm mutatio Cœli.

Certè Senium inſtans, & mœror ex accepta in tertia expeditione injuria, his malis junctus, effecere, ut reverſus Anno 1639 ex Braſilia, annum jam quadrageſimum ſeptimum agens, inciderim in frequentiores catarrhos, tuſſim vehementiorem, & inſuper in calculum Renum acerbum. Mox Anno 1640, adjunxit ſe iiſdem malis Arthritis, eo anno quidem adhuc tolerabilis; Sed mox Anno 1641 gravis; Et Anno 1642, acerba jam & læva nimis, adeò quidem ut paroxyſino ſæviente, quicunque pes affligebatur, illum propriis viribus nec à terra attollere & in lectum inferre, nec ex lecto efferre & in terram deponere, poſſem. imò ex uno latere in aliud latus corpus nulla ratione obvertere aut transferre, poſſem. Extra paroxyſmum verò & quum in meliori ſtatu valetudinis eſſe videbar, membra, tumore, dolore obtuſo, & rigore occupata, vix commovere poſſem. Certè anno integro antè curationem Cneuffelianam, propriis viribus, & abſque famuli adminiculo, veſtem nec induere, nec exuere potuiſſem,

etiamſi

etiamſi præmium decem aureorum millium propoſitum fuiſſet.

Inter hæc mala Tuſſi ſemper manente invicta.

Conſului deſuper multos Medicos Batavos, viros egregios & eruditos, eo ſumptu, ac diligentiâ, ut eorum Conſilia ac remedia quæ proponebant, brevi in tantum aucta fuerint, ut ad uſum omnium ne temporis quidem ſatis in vita haberem; ad uſum verò aliquorum etſi me conferre vellem, non ſatis ſcirem, quid potiſſimum eligerem.

Eo jam miſeriarum deveneram, ut per biennium proximè elapſum ſingulis ſeptimanis. ſi non duas, ad minus unam potionem purgantem ſumere cogerer, aut doſin pillularum. Sine eo me utpotè ſenem cacohymicum, vivere non poſſe ajebant. (cum tamen nox impune ſub Curatione Cneuffeiana anno integro, ne unam quidem purgationem aſſumpſerim, læto adhuc, Deo ſit laus, exitu.)

Poſiti mihi etiam fuerunt Anno 1638 Fonticuli duo, unus in brachio ſiniſtro, Alter in pede dextro ſupra genu in femine.

Poſitionem horum fonticulorum ſequutus

quutus erat, diligens, longus, & ſumptuoſus, variorum medicamentorum uſus. Inter quæ præcipuè notanda eſt, terna eaque ſolennis bibitio Decocti Chinæ cum Salſa; Prima continuata per hebdomadas ſex; Secunda per hebdomadas continuas duodecim, tantâ cum ſeveritate, ut parum abſuerit quin me interemerint; Tertia rurſus per hebdomadas ſex. Item terna bibitio Decocti Antiſcorbutici (nam Scorbuto quoque me laborare ajebant) quævis continuata per hebdomadas quatuor.

Quæ tamen omnia, aut exiguo, aut ferè nullo operæprecio fiebant. Imo inter hæc tormina, eo infirmitatis jam deveneram, ut vires corporis eſſent nullæ, cibi appetitus vix aliquis; Oedemata pedum continua deformia; tinnitus ſibilaque aurium perpetua. Tum quoque cùm melius valere mihi videbar, & cum eſſem extra paroxyſmos, non poteram e veſtigio à menſa ſurgere, nec in pedes memet erigere, niſi lentè admodum & cùm moleſtiâ. De gradibus deſcendere aut eos aſcendere, magni laboris erat.

In his anguſtiis verſanti mihi, contigit Dei beneficio, inexpe[illegible] con-

greſſus

greſſus cum Doctore Cneuffelio. Cujus opem ilicò expetii, utpote quod ipſum Sereniſſimum Poloniæ Regem, Dominum meum Clementiſſimum, à deploratiſſima Podagrâ exactè curaſſe, compertum haberem: Qui cum addixiſſet humaniter operam, Cœpi uti medicamento ejus die vigeſima quarta Iulii Anni 1642. Exhauriebam ſingulis diebus terna illa ſupra præſcripta pocula, Primum, hora octava matutina; Secundum hora quinta veſpertina; Tertium nocturnum aliquam moleſtiam præ ſe ferre videbatur, quod aut vigile opus eſſet, qui hora convenienti excitaret, aut horologio cum excitatorio. Sed cùm paululum cogitaſſem de remedio, inveni facillimum; quippe poſt mediam noctem expergefieri, & ad reddendum lotium ordinariò à natura cogi ſolebam: Perindè erat, ſive id accidiſſet horâ prima poſt mediam noctem; ſive prima cum dimidia; ſive ſecunda; ſive ſesquitertia; æquè tempus commodum erat, ventriculo à cibis jam vacuo exiſtente. Arripiebam tum potionem in lagenula capaciori (ut quati poſſet) ſupra menſam collocatam, & eam commotam amoto operculo ebibebam, nulla indigens aut can-

dela

ſela aut adminiſtro: ac ſic in lectum iterùm me recipiebam.

Quum hanc narrationem tibi ſcriberem, abſoluta jam erat annua curatio.

Accipe nunc quæ in eo tempore mihi evenerunt.

Quo magis Galēnici Curationem Cneuffelianam, monſtroſam, & irrationalem appellabant, ea propter quod aſſerat eam conſiſtere nec in Phlebotomia, nec in ſcarificatione, nec in cauteriis, nec alterantibus, nec purgantibus, nec diaphoreticis ſeu ſudoriferis, nec aliis vulgo uſitatis remediis quibuſcunque; ſed in quodam arcano ſalium ſolvendorum, naturam roborante & exonerante: Eo magis attentus eram ad omnes mutationes quaſcunque medicamentum ejus in corpore meo ciebat. In diligenti hac obſervatione tandem animadverti, injuria ipſos offendi verbis Cneuffelii, non eo ſenſu intellectis atque prolata ſunt. Certè in tam ancipiti medicamento quod vario modo pro varietate naturarum ægrorum operationem ſuam exercet, ut infra ipſe videbis, ſapienter & dicebat & faciebat Cneuffelius, quod ſibi tantum non arrogaret, ut vellet præſcribere naturæ, quando ea purgare, quando ſudare,
quando

quando vomere, mingere, aut alia talia agere deberet; Satius erat & re ipſa hoc comprobare, & verbis confiteri, quod ei id permitteret, ut illa roborata, tales vias ſibi eligeret, quales ei magis expedirent. Videbis enim mox infra in meo exemplo, medicamenti ejus vires diverſo tempore diverſas, mox diaphoreticas, mox diureticas, mox alterantes, mox purgantes; quas tamen Doctor Cneuffelius ſcire non potuit: quippe in aliis non fiebat idem, quod fiebat in me; Et in aliis fiebant viciſſim ea quæ in me non fiebant.

Singula accuratè perſequar, modo oculos tuos, nares, & aures, non offendat ea curioſitas, quæ in ſolis Phyſicis indecora non eſt.

Primis tribus menſibus laboravi quodam dolore gutturis & faucium, acidiori potione exaſperatorum. Cauſa fuit quod meæ lagenæ acidiores fuerint, quàm aliorum. Per aſſuetudinem tamen dolor mox evanuit.

Inter ea, quæ ſub Vſum medicamenti Cneuffeliani ſunt Egeſta, & quæ aliquid de proprietate medicaminis ſignificare poterant, ſunt Retrimenta alvi. Hæc à die vigeſima quarta Iulii Anni 1642, ad diem duodecimam Martii

Anni

Anni 1643. peregrinos habebant, & non naturales colores.

Primis quidem octo circiter ſeptimanis, erant ea omni atramento nigriora. Sequentibus has ſex circiter ſeptimanis, erant ea nigro-cœrulea, ſed intenſe tamen adhuc nigricantia.

Poſtea nigredo illa indies magis magiſque vergebat in colorem obſcure viridem, qualem Hollandi *Duncker Seegrun* appellant. Interdum tamen referebant ea etiam colorem atrum, quando nimirum lagenæ acidiores occurrebant; Non enim omnes lagenæ ejuſdem erant ſaporis, Intermiſcuerat quippe Doctor Cneuffelius lagenas ſuaves acrioribus, hac fini, ut nuper per epiſtolam faſſus eſt, ne humores in corpore tanquam in Euripo ſurſum & deorſum ſemper agitarentur, ſed per intervalla etiam delinirentur ac componerentur. Ego ſanè mutationem hanc Excrementorum diu ſoli Vitriolo imputabam, cujus ſapor in potione fuit evidens, quippè idem accidit iis omnibus, qui Aquis vitriolatis acidularum in Germania, in Hungaria, & etiam in Spania utuntur, ut nigra habeant alvi recrimenta. Sed quia Excrementa poſtcà colorem pergrinum abjecerunt; quam

ris eadem potio permaneret, edoctus um, in corpore quoque & inteſtinis aliquid hæſiſſe, quod ad peregrinos colores contulerit aliquid.

Ceſſavit tandem penitùs color peregrinus Excrementorum ut ſupra jam attigi die duodecima Martii Anni 1643 nimirum in triginta duabus ſeptimanis, & redierunt retrimenta alvi ad flavum & naturalem colorem. Et quidem hæc ſufficiant de colore excrementorum.

Quod Odorem attinet, Obſervavi ea fœtorem naturalem non habuiſſe quandiu peregrinus color durabat, ſed anſerinum quid oluiſſe. Eo vero tempore quo nigro-cœrulea erant, plerunque muſco ſimilem odorem habebant, quod quamvis ridiculum, verum tamen eſt. Tum vero cum lubrica alvus eſſet, & ſedes purgationum inſtar liquidæ profluerent, piſcoſus quidam fœtor iis ineſſe ſolebat.

Quod Conſiſtentiam Excrementorum attinet. Quandiù peregrinus color durabat, ſolebant eſſe ſolitò duriora, & pauciora, ita tamen ut alvus proptereà nunquam ſiſteretur, ſed quotidie una ad minus accideret excretio. Rarum hoc erat, accidit tamen aliquoties ut excretio uno atque altero die

ema-

emaneret. Obſervavi quoque Excrementis durioribus adhæſiſſe aliquando mucilagines quaſdam flavas, hinc inde ſparſas, quæ communi illa nigredine non tingerentur.

Quod liquidas illas & fluentes ſedes áttinet, quales in purgationibus ſolent conſpici. Hæ rariſſimè in uſu hujus potionis accidebant, & propterea accuratiſſimè à me obſervatæ & annotatæ ſunt, notabilem ſiquidem vim hujus medicamenti, ut mox videbis, ſignificare videbantur. Has eo ordine hic conſiderandas proponam quo acciderunt. Die 2 Septembris, Anni 1642, cum violentiori ſtimulo, & quidem ſubitò ad alvum ſolvendam cogerer, Accidit, ut cum ſolita pauca quantitate ſterquilinii duri & nigri, effluerent duæ aut tres Vnciæ liquoris gryzei ſive Cinericii, qualis in Diarrhæa conſpici ſolet. Putabam id ab arroſis potione aſperâ viſceribus profectum (quia acris admodum lagena tùm obtigerat) ſed cùm nihil ſimile poſtmodum ſequeretur, conjiciebam id è liene eductum fuiſſe. Die 25 Novembris Anni 1624, Ructus nidorem ovorum aſſorum redolentes (quales apud me concoctionem malam plerunque indicare ſolent) quum

uum complures in Expectoratione
ıatutina prorupiſſent, ſequuta eſt eos
ɔiarrhæa copioſa gryzeoviridis. Ab
rtu Solis ad meridiem ſedcs quinque
quidæ magno cum impetu, atque ita
rgiter prociderunt, ut iis matula im-
eretur. Ceſſavit Diarrhæa hæc ta-
en ilicò. Notabile vero id fuit ea
e, quod quamvis multum humoris
:r ſeceſſum, multum per ſudorem co-
oſum, multum per expectorationem
atutinam, multùm per urinam eo die
rgiorem, exiviſſet, quod nihilominus
ılla omnino dejectio virium ſequuta
erit. Die 18 Februarii 1643, Sub
ſum Novilunium, Reſumpſit natura
Medicamentum, intermiſſas aliquan-
u purgationes iterum, proceſſitque
eo hoc modo Quum antecedenti
ctc obſervaſſem in latere ſiniſtro ali-
ıos exiguos dolores, & puncturas in
ne, ſequutæ ſunt de die ſedes qua-
or liquidæ gryzei coloris. Hoc initio
cto, poſtea 22 Februarii, ſequutæ
ıt ſimiles ſedes duæ. Et 24 Februarii
:s. Iis diebus qui hic non adducun-
: , ordinariâ excretione durâ nun-
am emanente. Die 1 Martii, Anni
43, Etſi cœna admodum frugalis
æceſſiſſet, noctu tamen iterum ructus

D cru-

cruditatem redolentes obſervati ſun: & de die ſequutæ ſunt ſedes quatu largæ, liquidæ, non gryzeæ, ſed gryzec virides Die 3 Martii, Ructus cru iterum orti ſunt, & produxerunt de d ſedes largas, liquidas, gryzeovirides quinque, cum plurimo murmure ventis. Poſt prandium acceſſit his a huc ſedes ſexta, intenſiùs jam virens, piſcium putidorum fœtore totum co clave complens; æquè offendebant nares meæ, atque eorum offenduntu qui Forum piſcatorium Amſterod menſe prætereunt, Die 4 Martii ſim liter evenit, Mane iterum quinque ſ des, gryzeovirides, liquidæ, largit profluxerunt. Et poſt meridiem rurſ iis acceſſit ſexta intensè virens, & æq fœtens, ac præcedenti die. Die 5 Mar quum ordinaria ſedes dura interceſſi ſet; Rurſus die 6 Martii, ſedes gryze liquidæ, largæ, profluxerunt quinqu priores quidem quatuor, non nihil ja ad flavuum naturalem colorem verge tes, poſtrema vero quinta tota differe erat, planè viridis lienoſi coloris, E dies Martii 7, 8, 9 quovis die pro debat ſedes liquida una, ſed natura jam & flavi coloris, flatuſque adera frequentes, Die 10 Martii mane, 11

…s ſedes quinque liquidæ profluxerunt; …riores quidem tres, naturalis jam & …avi coloris, poſteriores vero duæ gry…eovirides; acceſſit earum numero …oſt prandium ſedes ſexta liquida, lie…ſæ viriditatis, & piſcoſi moleſti fœ…ris. Ructus acidi poſt eam purga…onem nihilominus permanentes, indi…bant reliquas adhuc fuiſſe ſordes plu…s in corpore. Die 11 Martii, à me…a nocte ad meridiem uſque, duravit …rſus ſpontanea purgatio, profluxe…ntque octo ſedes liquidæ, non gry…eoviridis jam coloris, ſed gryzei tan…m. Die 12 Martii, Matutino tem…ore aderat ſedes una, modicæ conſi…ntiæ, naturalis jam & flavi coloris. …eſperi item ſimilis altera. Nec am…ius poſteà apparuit color peregrinus. …rgationeſque ſua ſponte defierunt.

Reliquo tempore Curationis, Nem… à die 13 Martii ad ultimam diem …lii, quâ hoc ſcribebatur, Retrimenta …vi permanſerunt in naturali colore & …atu; Alvo ſemper exiſtente libera, …olibetque die accidebant ſedes natu…les, aut duæ, aut ad minus una.

Pergo ad Vrinas. Potio Cneuf…iana, in aliis plerunque urinas copio…s excitabat, & per eas præcipuam

partem Tartari ſoluti educebat, V
quidem Dominus Timmermannus
ſe ipſo id obſervavit. Sed in me n
fiebat idem, aut ſi fiebat, fiebat par
forſan ideò quod copioſius ſudaba
Omnino dum ſub regimine adh
eſſem Galenico, & antè uſum potio
Cneuffelianæ, mictiones meæ erant c
pioſiores, tenuiores, & magis aquo
A multis annis non memini me Vri
coloratiores habuiſſe, quàm in Potio
iſta. Quamvis aliquoties tamen p
fuſiſſimæ eæ, & aquoſæ contigerint
uſu potionis hujus quoque. Præte
in viis Vrinariis, nullæ arroſiones, n
pruritus, aut titillationes accideba
quales à Tartaro ſalito ſoluto in a
oriri ſolent. Nihilominus præter ſe
mentum ipſum, inferiori parte V
næ, apparere ſolebat aliquid turbi
hoc pacto; Exempli gratia, Si Vrina
vitrum matutinis vicibus collecta,
duas partes æquales, ſuperiorem vi
licet & inferiorem ſecaretur, pars
perior erat plerunque clara & opti
colorata, pars verò inferior præter
dimentum fundo annexum habe
ſemper aliquid turbidi. In ſedime
verò ipſo plerunque copioſè deſide
limus quaſi argillaceus, qualem Doc

Cneu

ieuffelius Tartarum bolarem appel-
e ſolebat. Hoc quoque obſervavi,
od ut antehac ſemper in regimine
lenico, ita quoque toto tempore cu-
ionis Cneuffelianæ, in ſedimento
inæ apparuerint multæ arenulæ ru-
e, interdum quoque ſubalbidæ ſed
rarò. Obſervavi item quod tota
atione Vrinæ meæ plerunque fue-
t ſpumoſæ.

Pergo ad Sudores. Antequam
huc potionem Cneuffelianam inci-
em, ſingulis diluculis ſudabam ſpon-
argiſſimè. Proficiſcebatur id partim
aturali ad id inclinatione, partim
taſſis à multo Decoctorum ſudori-
rum ſub regimine Galenico uſu.
copia ſudoris quoque perſeverabat
uſu potionis Cneuffelianæ, ut quin-
e continuis Menſibus largiſſimè ſu-
em. Quamvis, & Doctor Cneuffe-
ſudores illos non exigeret, & ego
eapropter habuerim negleċtiſſimè.
ndem ultimis diebus Decembris
uſea ſudandi me cœpit, ut ex propo-
eos inciperem impedire, & inter-
npere, quippe ſentiebam me iis de-
itari. Novum id inſuper ſudoribus
ceſſerat, quod quivis ſudor deſinens
ores quoſdam circa pectus excita-

 bat,

bat, ita fervidos, ut cutim quaſi adu
rere velle viderentur. Reliquis menſi
bus, etſi ſudores illi uberiores totie
interrupti tandem in deſuetudinem ve
niſſent, permanebant tamen adhuc ſin
gulis diluculis madores, donec iterun
cum æſtivis caloribus ſudores largiore
recurrerent, qui durabant ad eam uſ
que diem quâ hoc ſcribebam,

Pergo ad Sputationem & Tuſ
ſim, Per ſputationem copioſam, à pue
ritia ipſa ad hanc uſque ætatem, natur
mea multum ſemper excernebat. Me
mini in adoleſcentia adhuc, tam ſtre
nuum ſputatorem me fuiſſe, ut quo
cunque in loco horam unam atque a
teram ſediſſem, à ſputis plerunque ri
vuli profluerent, Ab annis vero am
plius ſedecim, ut ſupra monitum, ac
ceſſit ad ſputationem Tuſſis quoqu
cum multa expectoratione, quæ ſe
horis poſt paſtum quemlibet ordinari
ſeſe commovet, & ad minus uniu
horæ ſpatio durat. In uſu potioni
Cneuffelianæ hoc miraculum acciderat
ut poſt elapſas hebdomadas tres, tuſſi
ea penitus intermitteret. Stupebamu
omnes quotquot in domo fuimus in
ſolitum tuſſiendi ſilentium, & adve
nientes aliunde amicos in eandem ad

mira

[ſpi]rationem rapiebamus; ſed non man-[ſit] conſtans ea fœlicitas, nonâ quippe [ſep]timanâ labente, tuſſis eadem ite-[ru]m recruduerat. Poſt aliquot ſepti-[m]anas tuſſis hæc iterum evanuerat, & [m]ox poſt aliquot ſeptimanarum quie-[te]m iterum revixerat. Tandem medio [Fe]bruario Anni 1643 vires reſumens, [du]ravit ad æſtivos uſque calores ſat [pe]rtinaciter, eo tenore. Videlicet, Si [cœ]nam finiebam horâ nonâ veſpertinâ [co]gebar tuſſire & expectorare horâ ſe-[cu]ndâ poſt mediam noctem (In Tuſſi [hac] nocturnâ evidentius quàm in diurnâ [lic]ebam obſervare aliquem catarrhu-[m] ordinarium à capite vix ſenſibiliter [de]ſtillantem, ſubitò cum tuſſi ipſa na-[sc]entem, & ſubitò cum eadem ceſſan-[te]m; quippe elapſa horâ tuſſiendi ſuc-[ce]debat liberrima reſpiratio, tam per [na]res, quam per fauces; quæ res to-[ti]es quoties in memoriam mihi revo-[ca]bat aſſertionem Doctoris Cneuffelii, [de] ſale in Cerebro reſoluto & in ſub-[je]ctam regionem deſtillante.)

Si prandium finiebam hora prima [po]ſt meridiem, cogebar tuſſire & ex-[pe]ctorare hora ſeptima veſpertina. [S]putatione ſolita pituitoſa tota die [no]n intermittente. Vtrumque tamen

 hoc,

hoc, & Tuſſis & Expectoratio, multo minus infeſtabant quàm anteà. Interdum hoc quoque acciderat, ſed rarius, ut nocturna tuſſis cum ſua expectoratione periodum mutaret, & vices differret ad matutinum tempus cum ſurgerem. Aeſtivis caloribus hoc anno intenſiùs urentibus, tuſſis hæc iterum ceſſaverat, & à medio Iunio, ad ultimam Iulii quâ id ſcribo conſtanter emanet. Quid tandem de ea natura definiverit, tempus docebit. Vix auſim mihi promittere victoriam, Certe ſi robuſtiori ætate medicamentum Cneuſtelianum mihi obtigiſſet, ſine dubio viciſſem morbum; ſed nunc cùm vires deſinere incipiunt, vix credo ſuperiorem me evaſurum, (quanquam nondum penitus deſperem) Et tamen ob id virtuti & viribus medicamenti Cneuffeliani, nihil detrahendum eſt. Ipſemet Cneuffelius, & mihi, & me audiente aliis, ſæpiùs id inculcavit, ſe nil eſſe aliud quàm naturæ ſervum, Iuvareque ſeu potius excitare ſe poſſe ea tantum,; quæ adhuc exiſtunt, & quæ debilitata tantum aut ſopita ſunt; ſed quæ in natura jam deſierunt eſſe (nimirum ſi aliquæ Vitales facultates jam ſint emortuæ) ea ſe dare non poſſe, lubens profi e-batur.

atur. quia ſi poſſet, etiam immorta-
m reddere poſſet hominem.

Quicunque conſideraverit Horo-
opi mei Aſtra, quæ in lucis Vſuram
enientem die ſextâ Decembris Anni
592, hora undecima ſcrupulo quadra-
eſimo ante Meridiem, ſub gradu Ele-
ationis Poli quinquageſimo ſecundo,
nellum excipiebant, & ſuis qualitati-
us imbuebant; deprehendet, Saturno
unam & Venerem lædente, ita illa
nxiſſe, & infeciſſe humores meos, ut
aturaliter contumaces, & neceſſariò
efractarii ſint, nec à magno ſatis inſito
alore vinci queant. Ob quod vitium
te quinquageſimum octavum annum
tatis vix ſuperaturum Iudiciaria Aſtro-
omia ſtatuat (licet fortè parceret
ors violenta, quàm Mars in domo
artis conſtitutus, minatur). Quod ſi
a eſt, quomodo ergo poſſet hoc ille
orrigere, quod Magno Deo aliter
iſum? Certe ſi uſpiam, hoc loci vel
axime valeat illud neceſſe eſt: Quo
emel eſt imbuta recens, ſervabit odo-
em, Teſta diu. Hinc manant illæ la-
rymæ, quòd natura pridem ad evacu-
tionem per os coacta, ab aſſueta via
eſiſtere nequeat. Luctuoſius hoc fortè
pſi foret, ſi tantum ac tam malignæ

 pituitæ

pituitæ per inferiora & non ſuperiora vacuaretur. Deficientis & ad prædeſtinatam ac propinquam jam mortem inclinantis naturæ, indicium forte id erit, ſi Medicamentum Cneuffelianum non vincet. Conſidera quæſo ea quæ ſequuntur. Sub finem jam Curationis Cneuffelianæ aliquoties collegi ista omnia, quæ viginti quatuor horarum ſpatio, per os exſpueram, aut exſcreaveram, (nares non attingo, quia per eas raro aliquid educitur, aut ferè nihil, excepto niſi catarrhus incumbat,) comperique aliquando cum fortior exſcreatio ac ſputatio eſſet, repletum fuiſſe vaſculum ſedecim Vnciarum capax, (intelligo menſuram, nam quod pondus, pendebat ea pituita amplius quàm ſedecim Vncias), Quum vero parca expectoratio ac ſputatio adeſſet, comperi me excernere ad minus Vncias octo. Eſt autem totum id quod exſcreo aut exſpuo, pituita alba, viſcida, ſine ullis aut cruentis, aut purulentis maculis, quæ vitium pulmonum arguerent; Eaque ita tenax, ut ſi quis partem virgæ in ea immergat, longiſſimè pituitam protrahat, antequam à reliqua pituita eam abrumpat. Ita Ventriculi & Hepatis, aliarumque partium coctio ex alimen-

; plus pituitæ conficit, quàm ſangui-
s.

Pergo ad Excretionem per Fon-
culos. Fonticulos duos mihi poſitos
iſſe, ſuprà jam commemoravi. Hi
i antea ſub regimine Galenico po-
remis duobus annis, ita quoque ſub
uratione Cncuffeliana, anno hoc ſe-
uente tertio, nihil omnino excerne-
ánt, ſi globuli ex recenti radice Irias
ulpti in eos non inderentur. Et ta-
ıen radix Irias erat ſuſpecta, ne pecu-
arí quadam vi, plures humores attra-
eret, quàm expediret. Dum in eo
ınt ſtatu accidit periculoſum ſympto-
ıa fonticulo pedis dextri, ſub Cura-
ione Cncuffeliana in Decembre Anni
642. Quippe Fonticulus hic incipiens
nſoleſcere 9 Decembris, eouſque in
xulceratione proceſſit, ut 26 Decem-
ris mane numeratæ fuerint ſponte la-
ıentes ex eo guttæ puris, Centum tri-
ginta duæ; Veſperi vero Centum ſex-
iginta ſeptem. poſtea diminuebat, ite-
um pus, donec 4 Ianuarii 1643, fonti-
ulus hic rurſus in integrum reſtitue-
etur. Galenici vocati, Curationem
Cncuffelianam carpentes, dicebant hoc
mihi accidiſſe propter intermiſſas tan-
diu purgationes, & omnino volebant,

ut aliquoties corpus purgarem, ſed non admiſi conſilium, ne interturbarem Medicamentum Cneuffelianum mihi tantoperè proficuum. Et præterita memineram, antehac jam aliquoties exulcerationem ejuſdem fonticuli accidiſſe, quum adhuc ex præſcripto Galenicorum ſingulis ſeptimanis purgarem, & priuſquam Potione Cneuffeliana uti inciperem. Radicem Irias tamen poſtea nunquam impoſui, nec malum etiam rediit, ad hanc uſque diem quâ id ſcribo, Deo ſit laus. Interim tamen ſine radice Irias, fonticulus iſte nihil excernebat, ut nullum prorſus ejus uſum videns, eum occluſerim. Vigeſima prima Iunii 1643, ei fonticulo cicatrix jam inducta erat.

Hucuſque de Egeſtis dictum fuit, Iuvat de Ingeſtis quoque aliquot verba adjicere.

Sciendum eſt, diætâ omnino nullâ me uſum eſſe in Curatione dicta Cneuffeliana. Quippe experturus veritatem præceptorum Cneuffelianorum, indifferenter veſcebar, lardo, piſcibus, caſeo, lacticiniis, ſalitis, & fumo induratis, hac ſola cautione adhibita, ne unquam Ventriculum nimiùm implerem. quanquam vereor, ne in eo interdum deli-

deliquerim ob nimium appetitum; neque tamen propterea aliqua indigeſtio, aut dolor Ventriculi obſervatus fuit totâ Curatione. In potu utebar Cereviſiâ communi, & vino indifferenter; plerunque Vini Gallici ad paſtum quemlibet tria aut quatuor pocula exhauriendo.

Plura quæ ad obſervationem ingeſtorum pertinent, ſequens articulus Quintus exprimet, in quo ſub finem de Appetitu, & corporis vigore narrabitur.

V.

QVod Quintum Articulum attinet; Nempe quem effectum vel fructum, Medicamenti Cneufteliani ſenſerim? Hoc primò ex ſpeciali & ſeorſiva, cujuſque morbi examinatione. & poſteà ex vigore corporis, & ſanguinis immutatione, tibi manifeſtum fiet.

Quo ad Arthritim. Primis tribus menſibus, nimirum Auguſto, Septembre, & Octobre Anni 1642, in Uſu Medicaminis Cneuffeliani videbar mihi ſtatim melius valere.

Interim præter Arthritica ſympto-

mata conſueta, nova quoque & inſolita accidebant iſtiuſmodi.

Nempe die 20 Auguſti 1642, Suræ pedum magnopere indoluerant, itemque nervi ſeu tendines pedum inter ſuras & calces; Poſt dolorem hunc mox in pede ſiniſtro tumor quidam durus magnitudine nucis juglandis, in ipſis tendinibus ſeu nervis infra ſuram conſederat, qui tamen citra unctionem aut adjumentum aliquod, quarto die iterum per ſe evanuit, nec poſt rediit.

Octavo circiter die poſt hunc tumorem, decubuerat in juncturam maxillæ ſiniſtræ, acris quidam & doloroſus defluxus, citra tumorem; Vnius diei ſpatio os aperire non potui, nec cibo veſci. Dolor hic poſt duos dies receſſit, relictis tamen in longum tempus quibuſdam reliquiis: quia poſtea die 14 Septembris, item die 26 ejuſdem, idem maxillarum dolor recruduerat.

Nervi tam anteriores per pectus, coſtas, & latera decurrentes, quàm poſteriores à ſcapulis per dorſum deſcendentes, ab obtuſo quodam dolore & laſſitudine quadam, frequenter occupabantur.

Nodos meos Arteticos, in utraque manu ſitos, Doctor Cneuffelius Hagæ Comitis

Comitis antehac contemplatus, dixerat: lifficiliorem futuram curationem iſto-um nodorum, quàm totius Arthritiis. Interim tamen primis tribus menibus ſtatim, nodi iſti propemodùm :vanuerant, ut exiguum eorum reſtaret 'eſtigium; quamvis eos prorſus iſtis ribus menſibus non unxerim dato ad d liquore. Poſtmodum tamen defluionibus articulos occupantibus, nodi ſti diverſis vicibus rurſus intumeſceiant, & defluxionibus conſumptis iteum detumeſcebant.

Menſis November iterum me affli-erat. Non quidem ita acriter affligebar ut antehac; ſed tamen ita ut in onclavi me continere neceſſum habuerim. Aberant quidem dolores acuti, ſed dolor nihilominus obtuſus toto equente trimeſtri hærebat in omnibus erè corporis partibus, nervis, articuis, manibus, pedibus, genubus, cervice, umbis, juncturis. Moleſtum erat manum attollere ad pileum è capite denendum, moleſtum aſſurgere, moleſtum deambulare, moleſtum digitis aliquid preſſiùs contrectare, toto quaſi orpore, concuſſus & contuſus eram. Neſcio, An ad id quoque non contulerit aliquid intemperies & conſtitutio

cœli,

cœli, quippe hoc Anno nulla hyems in Hollandia fuit. Aut potiùs adſcribendum id eſt vi medicaminis omnia membra pedetentim pervadentis.

In Anno 1643, Per hos dies Ianuarii 27, 30, 31, Effuderat ſeſe ingens copia puſtularum minutiſſimarum, rubicundarum, admodum prurientium, à talis pedum ad ſuras uſque totum ſpatium occupantium. quæ puſtulæ tamen paucorum dierum ſpatio evanuerant.

Ineuns Februarium Anni 1643, eam novitatem rurſus animadverti, quod paſſim in utraque manu, & aliis quoque corporis partibus, mox hic, mox illic, in articulis emergebant tumores quidam duri quaſi cartilaginacei, non ad oſſa adnati, ſed in carnem innati, ſub ipſa cuti hærentes, plerunque magnitudinis piſi, interdum etiam magnitudinis fabæ; qui tamen non diu permanebant, ſed intra quadriduum plerunque iterum evaneſcebant. Similium tumorum ortus, & occaſus continuabat poſteà ad eam ipſam diem, quâ hoc ſcribebam. In iis tumoribus non inerat dolor, niſi tum, quum premerentur; Et neque tum quidem magnopere dolebant, ſed obtusè tantum.

Primò in Februario, & poſt in medio

Martio

Martio Anni 1643 acciderat, ut digitus medius manus ſiniſtræ ſubitò contraheretur, triduoque ita arctè in orbem convolveretur, ut nulla ratione, conatu, & arte extendi poſſet; quum eum relinquebam quietum in ſuo orbe, nullatenus dolebat, ſed quum altera manu prehenſum extendere conabar dolebat acutiſſimè, ut relinquere eum & miſſum facere cogerer. Triduo elapſo ſubitò iterum ſeſe erexit, me etiam non urgente & ferè non animadvertente, nullo mali aut doloris veſtigio relicto. Idem poſtea aliquoties accidit digito medio tam manus dextræ quàm manus ſiniſtræ, quum alii digiti ſimili malo non tentarentur.

Menſibus, Majo, Iunio, & Iulio, Anni 1643, aderant quidem adhuc tentationes Arthriticæ, ſed perexiguæ jam & ſine viribus, ut me ab itineribus longioribus, à deambulationibus, & laboribus non prohiberent, neque ab ulla actione alia. Pedes videbantur planè jam recuperaſſe robur ſuum. Vigeſima quarta Iulii 1643, eo ipſo die, quo annua Curatio Cneuffeliana expirabat, aſſumptis duobus comitibus itineris, qui teſtimonium rei actæ præbere poſſent, pedes Hagâ Comitis exivi, cum dilu-

diluculo, quum jam hora tertia ſonuiſſet, & attigi Lugdunum Batavorum ſive Leydam, antè ſonum horæ ſeptimæ matutinæ, ibidemque ingreſſus navigium horæ ſeptimæ, in eodem aliquandiu expectavi, antequam hora ſeptima audiretur. Navigio tandem ſolvente iterum Hagam intravi hora decima antemeridiana. Non integrarum quatuor horarum ſpatio, conficiens trium milliarium Hollandicorum iter, & quidem permoleſtum utpote magnopere arenoſum. Addo ocreatus eram, calcaria habebam, veſteſque ac pallium pluvia imbutum pondere ſuo moleſtiam adaugebant. Et tamen non requievi, non aſſedi toto hoc itinere, ſed continuo impetu illud abſolvi, & citra ſudorem. Nec ita laſſus fui, ut non iterum è veſtigio pedes Hagam repetere potuerim, ſi adniti voluiſſem; feciſſemque id in gratiam Doctoris Cneffelii, etſi ultra quinquagenarius, ni me regreſſum meditantem comites abſterruiſſent, revocatione in memoriam fonticuli pedis dextri, 21 Iunii primum cicatriſati, antehac ex levi cauſa frequenter luctuoſi. Reverſus Hagam eo ipſo quidem die, utpote homo aliquam laſſitudinem pedum ſenſi, ſed
ſequenti

ſequenti die omnino nullam; ita pedes iterum erant vegeti, ac ſi nullum laborem præcedenti die confeciſſent. Minora itinera, ut Haga Delftum, & aliorſum quæ uno tantum miliari diſtabant, ludendo conficiebam, vires pedum pertentans. Atque hæc de pedibus.

Quod manus attinet, hæ adhuc erant chiragra nonnihil impeditæ, ſed ſat leviter. Hoc tantum demirabar, quod ex nulla manifeſta, mihique cognita causa, viderentur eſſe aliquatenus mancæ & ſubmutilæ. Si Doctor Cneuffelius adeſſet, ut ſtatum valetudinis meæ ipſemet inſpicere poſſet, nullus dubito, quin facillimè toti Curationi coronidem imponeret. Sed in abſentia quoque ejus indies meliora præſtolabor à Deo omnipotente, Cui Soli debetur gloria in ſæculorum ſæcula, quod ea aperuerit Cneuffelio, quæ afflicto generi humano, & mihi ſalutem promittunt.

Quoad Catarrhos. Hi ſub regimine Galenico mihi alioquin vehementer infeſti, durante potione Cneuffeliana, non erant importuni. Duos tantum notabiles tota curatione habui. Primus me invaſerat & gravi tuſſi afflixerat

xerat per hos dies Novembris 2, 3, 4, 5. Sed ei credo dederat cauſam; partim magna ſollicitudo ob periclitantem grandem pecuniam, cambio ita infeliciter commiſſam, ut non collybus tantùm, ſed & ſors periclitaretur; partim iter Amſterodamum nocte pluviâ ac frigidâ ejus Cambii cauſa, non ſatis bene munito corpore ſuſceptum.

Vt parerem monitis Cneuffelianis, qui tabacum cerebrum meum irritare, & ad deſtillationes ſtimulare ajebat, abjeceram uſum ejus, quintâ die Novembris 1642. nec ad eam diem quâ hoc ſcribo, eum repetii; Nihilominus poſt abdicationem eam tabaci, alter me catarrhus poſtea afflixerat per hos dies Ianuarii 25, 26, 27, 28. Sed & hunc catarrhum poterat id promoviſſe, quod hoc anno hyems nulla eſſet in Hollandia, & ob id catarrhi in vulgus vehementer ſævirent.

Quoad Sibila Capitis, & Tinnitus aurium, quæ in regimine Galenico nunquam ceſſabant, hæc omnia totâ hac curatione exularunt.

Quoad Oedemata pedum. Hæc totaliter evanuerant.

Illud tamen mirum eſt, in dicta Curatione Cneuffeliana, quod etſi ſim corpore

corpore ſatis pingui, & facie optimè coloratâ, muſculi tamen in utraque manu, qui ſiti ſunt inter pollices & indices, ſint ita extenuati & exeſi, quemadmodum Phtiſicis eſſe ſolent (quanquam idem ante curationem conſpicuum jam fuerat). Item quòd ungues in utraque manu in dies majores rugas contrahant. Confirmare hæc credo Doctoris Cneuffelii judicium, me æſtuare intus, Et ſi vita aliquo celèriori fato non abrumpatur, Phtiſi me conſumptum iri.

Quo ad Nephritim. Hæc in initiis Curationis penitus ſeſe non commovebat. Perque integras tredecim hebdomadas, quoties vellem liberè in dorſo decumbebam, quod ante curationem Cneuffelianam, dolor renum non permittebat.

Die 23 Octobris 1642, demum acerbus me Nephriticus paroxyſmus ex improviſo corripuerat, ut cum gemitu lectulo inferret. Cruciatus erat acutus in rene dextro. Omnis tamen dolor intra horas octodecim conſederat. Puto lapillum grandiorem, orificio Vreteris impactum, cum non ſatis laxam viam progrediendi inveniret, in renis inſenſilem cavitatem relapſum fuiſſe.

Alium

Alium item paroxyſmum Nephriticum ſenſi die 6 Aprilis 1643. Erat is dolor obtuſus in renibus; Effluxitque eo die urina nonnihil cruenta. Perſeveravitque poſteà Nephritica turbida urina uſque ad diem 12 Aprilis 1643.

Die 13 Iunii 1643, cùm allati eſſent Aſparagi eximiæ magnitudinis & pulchritudinis, emi eorum magnam copiam, & in cœna nihil aliud præter unicum hoc ferculum comedi, & fortè guloſius quàm oportuit: per riſum dicebam experturum me, num in meis renibus multum calculorum remanſerit poſt curationem Cneuffelianam? Sed certe exterruit me mox hic Aſparagus, nam ſequenti ſtatim die inſigniter Nephritim movit, ut non tantum dolores adeſſent, & arenæ multum cum Vrina effluerer, ſed exirent etiam aliquot lapilli magnitudinis piperis, rubri, & friabiles. Ad evitandam majorem calamitatem, more ſolito, aſſumpſi de althea Fernelii uncias quatuor in duobus hauſtibus, ut Vreteres & vias urinarias calculo emollirem. Et videbatur id multum profuiſſe.

Supra in Egeſtis recenſitum jam eſt, quod ut anteà ſemper ſub regimine Galenico, ita toto quoque tempore

Cura-

Curationis Cneuffelianæ, apparuerint multæ atenulæ rubræ in urinis; interdum etiam ſubalbidæ, ſed perrarò.

Quoad Tuſſim. De hac ſupra articulo quarto, inter Egeſta abundè jam dictum eſt.

Quoad Melancholiam Hypochondricam, mihi alioquin familiarem & moleſtam, ejus nullam amplius vim obſervare poſſum.

Quoad Corporis habitum. Eo pridem bono jam fruor, Deo ſit laus; Speroque Deo volente me fruiturum in dies adhuc meliore. Niſi fortè propinqua jam ſit moriendi neceſſitas.

Facies mea, omnium qui me norunt confeſſione, eſt nunc multò coloratior, hilarior, vegetiorque, quam fuit ante multos annos. quod ipſum & tu vidiſti. Appetitus ſibi eſt ingens. Antehac uno, aut uno cum dimidio pane prandium abſolvebam, nunc contingit ſæpius, ut inter jocos prandii cautelam non adhibens devorem quatuor panes triticeos tales quales ſinguli medio ſtufero emuntur. Ordinariè tamen tres panes ejuſmodi ad prandium abſumo, ad cœnam dimidium hujus.

Quoad Sanguinem, Et ex eo

de Sanitate judicium, attinet. Scito, quanquam phlebotomiam D. Cneuffelius extra notabilem neceſſitatem vetaſſet; Me tamen, utpote ad eam aſſuetum, & ſubito deſinere metuentem, poſt AEquinoctium Autumnale, nempe die ultimâ Septembris 1642, poſt elapſas jam Curationis Cneuffelianæ ſeptimanas novem, venam aperuiſſe. Movebat me ad id Tuſſis poſt intermiſſionem aliquot ſeptimanarum iterum renaſcens, & ſomnia turbida, ac tentationes arthriticæ frequentiores. quæ omnia ſanguini diutius præter morem retento, imputabam. Detraxi igitur è brachio dextro ſanguinis Vncias octo. plus detrahere Doctoris Cneuffelii cauſa, non audebam. Sanguis hic non adeo quidem fuit bonæ notæ, melior tamen jam fuit quam anteà; ſeri habebat contra morem priorem ſatis, ſed bilioſioris; In ſuper ficie ſanguinis condenſatum erat gluten quoddam firmum & cohærens, ceu cutis; ſciſſum habebat ſubtus cutim hanc, parum ſanguinis floridi; reliquus ad fundum uſque pertingens ſanguis, fuit craſſus, niger, melancholicus, non tamen adeo teter ut antehac. Putredinis antea interdum aliquas oſtendebat notas, tum vero nullas.

Die

Die ſecunda Menſis Maii Anni 1643, quamvis nulla me urgeret neceſſitas, tamen cupidus, ſcire qualis evaſiſſet ſanguis meus, poſt potionem diuturniorem Cneuffelianam, rurſus emiſi ſanguinis uncias octo è brachio dextro. Is apparuit, Deo ſit gloria, longè melior laudabiliorque quàm antehac. In primi quidem Vaſculi ſuperficie aderat adhuc gluten ſeu cutis pituitoſa nonnihil gryzea, ſed multò parcior jam tenuiorque quàm anteà. In ſecundi Vaſculi ſuperficie, exiguum jam erat cutis ejus veſtigium. In tertio Vaſculo ferè nullum. Præterea ſanguis ſuperior erat floridus, Inferior verò fundum attingens, nequaquam ita ater ut antehac ſed ſatis laudatæ rubedinis. Seri quoque contra veterem morem habebat ſatis

Breviter in multis me Deus Miſericors per Doctorem Cneuffelium juvit, quodſi non in omnibus ab eo me adjutum hactenus adhuc voluerit, ejus ſanctiſſima voluntas fiat neceſſe eſt. Adhuc Deum invoco & dum ſpiro, ſpero; Omnino ſi ſuus à Deo cuique præfinitus vitæ terminus, & inexorabilis intereundi neceſſitas non inſtet, medicamentum Cneuffelianum, miracula præſtare poſſe arbitror.

VI.

QVod Sextum Articulum attinet, Nempe num quæ Extraordinaria in uſu Medicamenti Cneuffeliani mihi acciderint?

Dico accidiſſe. Sed minutiora quædam, quæ quodammodo ad Arthritidis ſpecies pertinent, iiſque aſſimilantur, hic non attingo, ſiquidem præcedenti Articulo qninto ea expreſſa jam ſunt. Duo tantùm hic recenſebo; quæ cum Arthritide, meâ quidem ſententiâ, nullam aut vix aliquam habent communionem.

Primum fuit tale. Amſterodami ob intricatum Cambium diutiùs hærenti, & catarrho, ut antè expoſitum eſt, laboranti, defecerat in lagenis itinerariis potio Cneuffeliana, ut unâ die eâ caruerim. Remittente jam catarrho, quum ejus potionis habendæ gratiâ, die quinta Novembris 1642, curru Hagam Comitis feſtinanter me reciperem, invaſerat me ſubitò morbus novus, qualem totâ vitâ antea non guſtaveram. Is erat anguſtia pectoris circa diaphragma; Ita affectus eram quaſi pectus inter duos aſſeres compreſſum

hab-

haberem. Latera in momento ita dolebant, acſi a longo tempore baculis contuſa fuiſſent. Reſpiratio erat difficilis. Si altius liberiuſve reſpirare conarer, ictus tanquam pugione inflicti ſentiebantur, præcipuè in latere dextro; qui eò magis affligebant, quòd tuſſire nihilominus interdum cogerer, quia quo acrius tuſſiebam, eò acriores ictus ingeminabant. Pleuritidis ſpeciem referre videbatur hoc malum. Rectè accidit quod eâ ipſâ die, quâ malum hoc naſcebatur, Hagam attigerim. Poſt mediam enim noctem, exhauſto poculo ſolitæ potionis Cneuffelianæ (& quidem tum lagena acidior acriorque obtigerat) incipiebat malum hoc ſtatim miteſcere. Flatus verò tantum fuiſſe comperi, quia brevi poſt exhauſtum poculum, & crepitus Ventris complures, & ructus frequentes, & eos ſequuta quies placida, rem ita ſe habuiſſe manifeſtò comprobarunt. Significaveram eum caſum Doctori Cneuffelio per litteras, ſed ille longè aliam rem fuiſſe reſcripſit, quàm ego putaveram; Nimirum ſtatuebat id fuiſſe arthriticum decubitum, ſive Arthritin illam, quam à claviculis Medici Practici Cleiſagram appellarent.

Secundum, quod extra ordinem mihi acciderat, fuit tale. In parte ſuperiore brachii ſiniſtri, alo fonticulum, qui poſitus fuit, ante quinquennium. In parte vero inferiore brachii, nempe in cubito, ſita eſt cicatrix vulneris antiqui, antè ſeptennium adhuc in Braſilia ictu bombardæ inflicti. In hoc itaque brachio decimanona Martii Anni 1643 talis calamitas acciderat. Immiſeram præcedenti die globulum cum cantharidibus in ſupra deſcriptum fonticulum, ad refricandum foramen quod callo obduci incipiebat; exindè ut mos eſt foramen aliquantulum inflammatum erat, ſed ita tamen inflammatum, ut vix putem inflammationem iſtam defluxum ita notabilem attrahere potuiſſe. Breviter unde malum acciderit neſcio, Hoc ſaltem ſcio, Quòd acris quidam defluxus Fonticuli foramen præterlapſùs inciderit in ictum dictum bombardæ, & in cicatrice ipſa ſedem fixerit. quæ cicatrix alioquin ita probè ſanata fuerat, ut toto ſeptennio nulla me prorſus moleſtia afficeret. Primus ſenſus doloris, qui in obſervationem venit, fuit iſtiuſmodi: cicatrix videbatur eſſe ſubitò occupata à nive, aut frigore quodam magno, Ego judicabam id

fuiſſe

fuiſſe defluxum arteticum; Et hinc unxi cicatricem & brachium ad ignem ter liquore à Doctore Cneuffelio dato, cujus mentio & deſcriptio facta eſt ſupra Articulo Tertio: Mox cicatrix illa', mihi quidem incertum, an ob defluxum ſupra adductum ſolùm, an verò etiam ob illinitionem eam, magnoperè intumuit, & graviſſimo dolore me affecit, ut diem noctemque gemitu traducerem, neque ſomnum capere poſſem. Per dies Martii 20, 21, 22, 23, ſimiliter ſummis cruciatibus divexatus, noctes inſomnes ducebam, toto brachio ad fonticulum uſque inſigniter jam tumente. Accerſiti Chirurgi mitigabant dolores in iis diebus hoc pacto. Primùm Vnguento Populeo inungebant totum brachium, & poſtea ſuper hoc unguentum applicabant anodynum calidum (fuit autem anodynum illud, panis triticeus in lacte coctus cum pauco croco). Per dies Martii 24, 25, 26, 27, ſuppuratione matureſcente, minores jam erant dolores, noctesque quietiores, ut ſomnum interdum capere poſſem, populeum tamen, cum anodyno dicto continuabatur. Tandem vigeſima ſeptima Martii, noctu pus cicatricem rupit, & crudi ſanguinolenti icho-

res magnâ copiâ effluxerunt. Putabamus exiturum unà aut fragmentum aliquod oſſis, aut globulum bombardæ (quia quum id brachium non in utramque partem perforatum aut trajectum, in Braſilia curaretur, globulus in vulnere inventus non fuit, putabamus tum, quod exciderat in itinere, quum poſt acceptum vulnus integrum miliare adhuc cum non obligato brachio pedibus conficerem) ſed neutrum horum tamen apparuit. Die nona Aprilis 1643 vulnus iterum clauſum erat. Per reliquum menſis Aprilis in Majum uſque fovebatur brachium mane & veſperi linteolis in vino rubro calido tinctis, in quo incoctum erat roſmarinum, lavendula, folia roſarum rubrarum, & aliquot aliæ herbæ.

VII.

QVod Septimum Articulum attinet. Nempè qualem effectum Medicamenti Cneuffeliani viderim in mihi notis?

Poſſem tibi aliquem catalogum mihi notorum recenſere, quos poſt Sereniſſimum Regem meum, in Polonia & Pruſſia Doctor Cneuffelius feliciter

curavit;

curâvit ; Imò habuimus nuper Dantiſcanorum Amſterodamenſibus notiſſimorum , ut Petri Henricii ad Coymannos, & aliorum litteras , eximium ejus rei in ipſorum Civitate quoque teſtimonium ei præbentium : Sed fruſtra tibi tales allegarem , qui tibi non ſunt cogniti , aut quos videndi non datur facultas ; Tales tibi adducam qui hic in Hollandia tecum habitant , & quos videre & alloqui poteris , quum voles.

Duos hic novi , qui eodem tempore, & mecum unà , potionem ſupra ſæpius adductam , à Doctore Cneuffelio acceperunt , & eâ hoc ipſo tempore , quo id ſcribo , adhuc utuntur.

Vnus eſt Vincentius Iſſelſteinius, Præfectus Equitum , & Gubernator Orſoyenſis , annum nunc ingreſſus quinquageſimum quartum , homo cælebs & ob id curatu facilior. Qui quidem quinque Menſium ſpatio , ex Arthritide ſua ita convaluerat , ut commodè ambularet, equitaret, & munia militaria , pedes , equeſque obiret ; quamvis aliquoties poſteà leviter eum tentaverit morbus. Menſibus his poſtremis , Majo, Iunio , & Iulio , ita jam confirmato , ſano , robuſto , & pingui corpore erat, ut ne deſideraret quidem à Deo im-

mortali, meliorem valetudinem. Tanto magis elucebat in eo perfectio Curationis, quantò majoribus laboribus hac æſtate citra noxam omnem exercebatur. Nam Illuſtriſſimus Princeps Auraicus Caſtra in Flandria metatus, Huic cum parte equitatus provinciam dederat finium tuendorum adverſus vagum hoſtium equitatum, irruptionem minitantem; quod ille dies noctesque hoſti occurſando, & vix aliquando ex equis deſcendendo, præſtabat tanta cum ſedulitate, ac tanto cum labore, ut ex robuſtiſſimis non pauci, exceſſivos labores non ferentes, ægrotarent, ille verò ſemper permaneret hilaris ac vegetus. Stupebamus omnes tam celerem & tàm felicem ſucceſſum medicaminis, in homine magis afflicto quàm ego fueram. Forſan aër & aqua mediterraneæ illius & ſiccæ regionis in qua habitat, multa conferebant ad eam rem. Orſoy quippe eſt in tractu Rhenano, ultimo Hollandorum confinio, ultrà VVeſaliam adhuc, in ſolo Germaniæ Superioris, remoto ab omnibus paludibus, Cœlo ſalubri, & aquâ limpidiſſimâ, gaudente. Sanè memini, me legiſſe Germani cujuſdam Medici librum, in quo diſertè affirmat, experientiâ

rientiâ ſe comprobaſſe, pharmaca omnia purgantia, in Hollandia dupla quantitate præbita, non præſtare tantum, quantum præſtent in Germania Superiore, ſimpla quantitate præbita. Vtinam in mentem nobis id veniſſet, ut paluſtrem veſtram Hollandicam, & toto Terrarum Orbe peſſimam aquam, itemque craſſum hunc & paludoſum cum marino mixtum aerem, vitaſſemus. Equidem monueram de eo per litteras Doctorem Cneuffelium, ſed ille floccipendebat hanc meam ſollicitudinem, Et reſcripſit ſapientem Dei dono potientem in tali quoque regione, qualis eſſet Hollandia, ſcire dominari morbis.

Alter, qui mecum unâ medicamento Cneuffeliano Hagæ Comitis utebatur, & adhuc utitur, eſt Samuel Timmermannus, tibi notiſſimus, Vir eo loci conſpicuus & perlocuples, qui in Aprili proximè elapſo Anni 1643, ingreſſus eſt annum quadrageſimum nonum. Hic omnium Arthriticorum quos ego unquam vidi fuit afflictiſſimus. Ita omnibus membris captus erat quum ipſum prima vice viderem, ut lectulo affixus, ne commovere quidem corpus, aut pedes, aut manus, propriis viribus

 poſſet.

poſſet. Caro ejus omnis à doloribus ita erat abſumpta, ut cutis oſſibus hæreret. Tibiæ, & brachia, ad miraculum uſque erant tenuia, ſola genua, & juncturæ articulorum inſigniter tumebant.

Accedebant huic malo, alia adhuc mala atrocia, nimirum Inſomnia, dolores capitis exceſſivi, Catarrhi aſſidui; Colica frequens & acerba. Aderam Doctori Cneuffelio, quum prima vice vocatus ad eum acceſſiſſet, Et videns hominem propè jam morbis enectum, nullis prorſus viribus præditum, & vix animam trahentem; Non poteram ſatis mirari audaciam Doctoris Cneuffelii, quòd hilari fronte ſuſciperet curam hominis meo judicio tam deplorati, promitteretque valetudinem ei, quem per octennium maximi ſumptus (utpote ab homine locupletiſſimo) in Galenicos impenſi, nihil juviſſent, quique Acidulas, & thermas varias antè fruſtra expertus eſſet. Suſcepit tamen curam ejus Doctor Cneuffelius confidenter, & ilicò ut dixi bene ſperare juſſit; abeunſque in Poloniam, eandem potionem ipſi ute ndam reliquit, quam & mihi. Hujus uxorati curatio difficilius procedebat. Referam hic ea quæ in Curatione ipſius attentius obſervavi.

Hic

Hic quum die primâ Auguſti 1642, potione Cneuffelianâ uti cœpiſſet, primis menſibus utpote Auguſto & Septembre, in dies magis, magiſque roborabatur, ut ſæpius eum pedibus paulatim domi ſuæ incedentem viderim. October eum proſtraverat iterum. Sex dierum ſpatio lectulo affixus, & de doloribus capitis graviter conquerens, quum nullum omnino ſomnum haberet, & corpus æſtuans tentationes aliquas febriles perſentiſceret, mordicus expetiit ſibi venam aperiri; quippe antehac ad phlebotomiam frequentem à Galenicis erat aſſuefactus. Reſtitimus aliquandiu, quod id eſſet contra præceptum Doctoris Cneuffelii, ſed quum pertinaciter in urgendo perſiſteret, tandem die ſeptendecima Octobris 1642, emiſſæ ipſi fuerunt ſanguinis Vnciæ ſex tantùm, ut ventilatio potius quàm detractio ſanguinis, ea venæ ſectio dici meruerit. Quam malus tum adhuc ſtatus valetudinis ejus fuerit, poſt uſum jam medicaminis decemhebdomadarium, ex inſpecto ſanguine liquebat; quippe cùm is concreviſſet, nihil omnino oſtendebat rubedinis; Gluten quoddam denſum, inſtar lardi flavi; aut inſtar cutis porcinæ, natabat

 in

in ſero plurimo bilioſo flavo. Huic glutini ſubtus adhærebat particula ſanguinis atri adeò exigua, ut vix unica uncia eſſet ſanguinis nigri, in tota maſſa extracta duobus vaſculis contenta, reliquum occupante ſupradicto ſero & glutine rubedine penitus carente. Redibat tamen brevi ad ſeſe iterum æger, nullis aliis præter dictam potionem medicamentis adhibitis. Paulatim iterum oſſa carnem reſumebant, corpuſque vires. In Decembre iterum invaſerant eum arthritici dolores, & lectulo affixerant decem circiter dies. Poſtmodum per Ianuarium, Februarium, Martium, Aprilim, Majum, mediocriter valuit, malis ejus interdum leviter ſeſe commoventibus. Sat bene conſtituto & robuſto corpore, ac facie vegeta apparebat, Pedes & erecto corpore in templis & concionibus publicis frequenter viſus eſt. Cæterum præter opinionem tamen tardius convaleſcebat. An rectè & convenientibus temporibus obſervaverit uſum datæ potionis, ipſe norit. Mea certè ſalus fuit ſtrictè obſervaſſe. Et quidem mihi videbatur, quòd ſibi & amicis plus indulgebat, quàm curationis ſtricta obſervatio permittebat. Memini cum extractum

fuiſſe

fuiſſe Hagâ peregrè ad nuptialia quædam feſta, in quibus hæſerit decem dierum ſpatio, ſine Iacobo potionis cuſtode & adminiſtro. Item Hagæ Comitis convivia amicorum interdum accedebat. qualibus in locis prandia partim diutius expectantur, partim diutius durant, ut hinc obſervari non poſſit inter paſtus conveniens hora & tempus ſumendæ potionis. Quum hoc ipſi objicerem, regerebat ille quidem id, quòd homines ſibi blandientes plerunque regerere ſolent, quaſi nihilominus ſtrictè cuſtodiret ſibi obſervanda; Sed quis neſcit, quàm facile ſit in talibus occaſionibus amicorum gratiâ aliquid committere, aut omittere. Ex hac fortè uſurpata licentia, die vigeſima ſecunda Iunii 1643, invaſerat eum Colica paſſio, quæ tamen mox præterierat. Sed ecce nuper, poſt annuum jam potionis Cneuffelianæ uſum, invaſit eum iterum ſextâ Iulii 1643 arthritis, non quidem ita gravis ut olim, ſed tamen iſtiuſmodi, quæ ſatis docet enormius ægrotantes annuo potu non liberari. Forſan ea res quoque deteriori conditione eum facit, quòd annum Climactericum, nempè quadrageſimum nonum nuper ingreſſus ſit. qui ſi ipſi fatalis non eſt, vi-

debis tamen Vir Doctiſſime eum nihilominus curatum iri, quod ſi eveniet, demum confirmabitur noſtri Seculi felicitas, quod remedium contra Podagram repertum ſit. Annos Climactericos, habere extraordinarium quodam imperium & vim in partes morboſas corporis humani, præter vulgarem opinionem, docet etiam recens exemplum Sereniſſimi Poloniæ Regis, qui ut ex litteris fratris nuper intellexi die nona Iunii 1643 annum Clymactericum videlicet itidem quadrageſimum nonum ingreſſus ; minus proſpera valetudine uti incipit, & chiragrâ iterum leviter tentatur, quamvis à Doctore Cneuffelio antehac ab acerbiſſima Podagra liberatus toto proximè elapſo triennio, ab omni vexatione arthritica planè liber fuerit. Sed minimè mirandum id eſt in Rege, quippe ante tentationem hanc Chiragricam à limine ipſo mortis ad vitam vix revocatus fuit, convaleſcens è maligniſſima febri, quâ Cubiculi ejus nobiles aliquot è vivis ſublati ſunt. forſan hac febri natura fracta in pridem debilitatis partibus facilius morbum recipit. attamen ſi fata non inſtent beneficio medicamenti Cneuffeliani, brevi Majeſtatem

Suam

Suam iterum liberam fore, nullus dubito.

In morboſa Domini Timmermanni conſtitutione notabile illud quoque eſt, quòd alvi ejus retrimenta integro anno peregrinos colores retinuerint.

VIII.

QVod Octavum Articulum attinet. Nempe quales reliquiæ Inflammatum ſuperfuerint in corpore meo circa finem annuæ Curationis. Et quid earum reſpectu deinceps agere conſtituerim?

Hoc breviſſimè ſic abſolvo,

Ex hiſtoria ſupra deſcripta liquet poſt Curationem Cneuffelianam, in articulis ab arthritide exhauſtis, remanſiſſe quendam languorem, aut veluti ſtuporem, ob quem manus quodammodo ſemimutilæ, & ſemimancæ videntur.

Item liquet remanere quoque adhuc continuam excretionem arenularum rubrarum cum urina; quod indicium nephriticum neglectum, labefactaram jam nephritin forſan regenerare poſſet.

Inſuper, liquet etiam brachium meum ſiniſtrum ex ictu bombardæ, occulto

aliquo

aliquo oſſe aut globulo in vulnere adhuc latente redditum eſſe languidum, & minari adhuc novam cicatricis rupturam.

Contra hæc omnia, ſi aut Doctor Cneuffelius, aut medicamentum ſaltem ejus adeſſet, de nulla re ſollicitus, continuarem ſimpliciter uſum medicamenti ejus. Sed vide quid mihi contigerit. Hic Vir eſt ex Amaxobiorum genere; Magnates, quum pro more ſuo omnia ſibi deberi putent, abutuntur lenitate viri optimi, & ubique eum ſecum pro libitu circumducunt, ut non ægrotantium tantum, ſed & ſuo ingenti damno, uno in loco ſedem non figat, nec quovis tempore inveniri queat. Non tantùm aulam Regis, ſed & aulas Magnatum ſectatur, quod ipſi omne tempus aufert. ut nec amicis conſulere, nec operas ſuas Chymicas perſequi, nec ad litteras in tempore reſpondere queat. Ad meas litteras vigeſima quarta Ianuarii 1643 ad eum datas, cum longiſſimo tempore non reſponderet, nec præſcriberet, quid mihi agendum foret poſt præfinitum ab ipſo bibitionis tempus; denuo vigeſima Maii Anni ejuſdem ſcripſi ad eum querulas litteras, in quibus inter cætera percontabar an

an mihi permitteret iter ad acidulas Spadanas, ad utraſque has litteras nunc demum ſub finem Iulii 1643, allatum mihi eſt reſponſum, Et quidem inexpectatum. Quippe iter Spadanum officere lumini curationis ſuæ ratus, ita offenſus eſt, ut ad famulum ſuum Hagenſem Iacobum ſcriberet, ne quid ampliùs de potione ſua mihi largiretur. Quo caſu abſciſſus eſt mihi uſus potionis ejus. Deprecatus quidem fuiſſem ilicò culpam per litteras, & ab itinere eo lubenter deſtitiſſem, (quippe hominem iſtum parentis inſtar veneror, habeoque cur ei gratiam & obſequium debeam) ſed antequam iterum reſponſum acciperem, fortaſſis ſex menſium ſpatio expectandum foret. Dilata igitur ad aliud tempus prenſatione, nunc jam nolens volens ad Acidulas me conferre cogor, quamvis expectatione litterarum ejus, dierum Canicularium beneficium jam amiſerim. Poſt eà ad Thermas Aquiſgranenſes Deo volente me conferam. Ad Acidulas quidem ideò, quòd (ſi quidem nunc careo medicamento Cneuſtelii) eas contra calculum renum miracula præſtare vulgo creditur. Horreo vehementer nec audeo contemnere tam

exqui-

exquiſitum carnificem, qualis eſt calculus. Certe inter omnia Galenica medicamenta contra calculum renum adhibita, maximè mihi ſemper profuit ſyrupus de Althea Fernelii, quòd egregiè emolliret ureteres, & aperiret vias arenulis; Et tamen author & repertor ipſe tam nobilis medicamenti Fernelius, eo ipſo morbo interiit. Ad Thermas cupio, brachii læſi & langueſcentis cauſa; quod antiqua vulnera, læſoſque nervos aut oſſa inſigniter reſtituere & roborare dicantur. Arthritidis cauſa eo me tendere ne credas: quippe contra hanc in eo beneficio Dei, quod Cneuffelio patefactum eſt, certius auxilium eſſe puto. Si hæc ſola officeret ad Cneuffelium potius, non ad Thermas iter inſtituerem. Interim ea mens mihi eſt quamprimum Cneuffelius in has oras appulerit, ad eum me ilicò conferre, & ab ipſomet curationis Colophonidem exorare. Quippè candidè tibi confiteor, vir Doctiſſime, firmiter me credere, Si potio Cneuffeliana mihi ſemper adeſſe poſſet, totâ vitâ me alio & medico & medicamento non habiturum opus.

Movet me etiam ad inviſenda hæc loca Vicinitas loci. præcipuè quub
mih

ihi perinde ſit iiſdem impenſis ibi vi-
re, quibus hic vivo, imo minoribus.
ertus etiam ſum, ubi ſemel Poloniam
tigero, me harum aquarum gratiâ,
r tot terrarum ſpatia, & tot diver-
um exercituum pericula iter non
ntaturum. Forſan etiam domeſtica
egotia, facultatem huc remeandi adi-
ſent. Et meritò tamen explorandum
t, ſi quid aquæ iſtæ poſſinr: præcipuè
uòd id ipſemet Doctor Cneuffelius,
de re antehac à me interrogatus non
iſſuaſerit, quamvis ſuperfluum id eſſe,
dicaverit.

Denique ſi quid inſperatum accide-
it, recurſus mihi patebit ſemper ad
Doctorem Cneuffelium in Polonia ha-
itantem, qui ad aquas has è Polonia
nihi pateret nunquam.

Atque hæc quidem ſunt Vir Doctiſſime,
uæ de Doctore Cneuffelio tibi à me
erſcribi poterant.

Magnis jam potimur, majora au-
em melioraque in dies adhuc expe-
tamus.

Tardius quidem me convaliturum
Doctor Cneuffelius initio ſtatim præ-
dixerat, quòd tot vexationes jam, &
tot acerba examina Galenicorum per-
tulerim, qui vehementioribus ſudori-
feris,

ſeris, omne tartarum, quod in primi
viis hærebat, (& dum illic håreret ind
facilius à medicamento ejus educi po-
terat) ad extremas partes & remotiſſi-
mos uſque articulos pepulerint; Et ſuc-
ceſſum exploraturus, initio quiden
triginta duas ſeptimanas tantùm mih
præfiniverat; ſed quum poſtea ex lit-
teris meis, tardam in me operationen
medicaminis intelligeret, annum inte-
grum bibendo complere juſſit, quod &
factum eſt.

Interim ex his, quæ hic conſcri-
pta vides, facile judicabis Vir Doctiſ-
ſime, quàm honeſti, quàm æqui, quàn
modeſti, & quàm Chriſtiani fuerin
illi, qui de re iis incognita temerè ju-
dicantes, ipſum Cneuſtelium tanquan
Empiricum, per ora vulgi traduxerint
& conviciis lacerarint, hominem ſib
nunquam viſum, nec ſcriptis cognitum
De quo tibi hoc candide refero, ub
illum videris, non facile te judicatu
rum, doctiorne ſit an humanior? Ob-
ſervavi eum non Latinarum tantùm
ſed Græcarum etiam litterarum eſſ
peritum. Scio eum Doctoratus gra-
dum, pridem jam in Academia Argen-
toratenſi conſequutum fuiſſe, & ibiden
olim publicè affixis theſibus defendiſſ

Podagram curabilem eſſe. Scio eſſe Botanicum optimum; Chirurgum præſtantiſſimum; quippe ars hæc domi ipſi nata fuit, quum eſſet filius clariſſimi quondam totius Luſatiæ Chirurgi, à patre ipſo diligenter inſtitutus; Mathematicum inſignem; Et Chymicum talem, cui Podagra ipſa omnibus ſeculis antehac invicta, nunc ab eo ſpreta & domita, Victricem laurum ſupplex porrigat. Addo magni Regis Archiatrum, quod idiotis non contingit. Brevi eum hic affuturum ſpero, vocatus enim eſt literis Illuſtriſſimi Principis Auraici, quod ſi continget, videbis virum omnibus oſoribus ejus majorem, auguſtioremque; Et fortè idem oſores ejus ſentient ſi magnis principibus exactam rationem reddituri ſunt ſuæ impudentiæ, quòd fictis nugis eos ab uſu tàm ſalutaris medicamenti toties deterruerint, & hoc pacto valetudinem eorum diutius quàm oportuit affixerint.

Quæ conſtantia valetudinis meæ in poſterum erit, & quæ mutationes accident, gnaviter obſervabo, & ad te poſthac accuratè perſcribere non negligam. Interim Vale Vir Doctiſſime, & amantiſſimum tui redama. Daban-

tur. Hagæ Comitis die ultima Iulii, AnnoSalutis Milleſimo Sexcenteſimo quadrageſimo tertio.

F I N I S.

GORLICII

Typis excudebat Martinus Hermannus

M. DC.XLIV.